

**Sciagraphica nervorum capitis descriptio, et quidem paris 1mi, 2di, 3tii, 4ti  
et 5ti, quam ... præside Adolpho Murray ... pro gradu doctoris / publicæ  
disquisitioni subjicit Jacobus Åkerman, Gothlandus. In audit. Gust. Maj. ....  
MDCCXCIII.**

### **Contributors**

Åkerman, Jacob, 1770-1829.  
Murray, Adolph, 1751-1803  
Uppsala universitet.

### **Publication/Creation**

Upsaliæ : Ex prelo viduae Johan. Edman, [1793]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/azynek73>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

285

52828/p

222-00035189

19  
SCIAGRAPHICA  
NERVORUM CAPITIS DESCRIPTIO,  
ET QUIDEM PARIS  
I:MI 2:DI 3:TH 4:TI ET 5:TI,

---

QUAM  
VENIA EXPER. ORD. MED. UPSAL.

P RÆS I D E  
*ADOLPHO MURRAY,*

M. D. ANAT. ET CHIR. PROFESS. R. ET O. SOC. SCIENT. UPSAL.  
ACAD. REG. SCIENT. HOLM. VLISSING. BASIL. FLORENT.  
BOTAN. ET GEORGOPH. UT ET SIENENS. ET  
BEROL. N. C. MEMBRO,

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT

*Jacobus Åkerman,*

GOTHLANDUS.

IN AUDIT. GUST. MAJ. D. IV MAJI MDCCXCIII.

H. A. ET P. M. S.

---

U P S A L I A Æ ,  
EX PRELO VIDUE DIRECT. JOHAN. EDMAN.

1793



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3038106x>

344267

# SCIAGRAPHICA DESCRIPTIO NERVORUM CAPITIS.

---

## PROOEMIUM.

**A**b eo usque tempore, quo lætiorem Anatomica scientia induit faciem, debitoque culta fuit fervore, multi quidem maximæ famæ Viri summum in nervorum investigatione collocarunt studium, & descriptiones exhibuerunt, abstrusæ huic rei exoptatissimam accidentes lucem; qui veterum tamen, ut COLUMBI, FALLOPII, VAROLII, WILLISII, VIEUSSENII rel. elaborationes neurologicas cum scriptis recentiorum comparaverit, maximos, qui illis subrepserant, errores jam dispulsoe videbit, & inexpectatum illud fastigium, quo jam evecta deprehenditur scientia, mirari non desinet. Sed, quod adeo illustrem Neurologia acquisiverit statum, sex præfertim hujus saeculi ultimorum decenniorum, in quibus singula nervorum paria novo subjicere scrutino & observata pulcerrimis illustrare iconibus cooperunt Anatomici, est gloria. Et ut recentissima commemorem tempora, tum elegantissimis in cerebro nervisque experimentis, tum etiam accuratissimis in ramorum decursus, & divisiones prius incognitas, observationibus, celeberrimi Viri MONRO, FONTANA, WALTER, WRISBERG, COTUNNI, METZGER, SCARPA, PALETTA, CRUIKSHANK, SOEMMERING, VICQ D' AZYR, HAASE, ARNEMAN, FRISCHER, FRÖTSCHER, STYX, JOERDENS & J. B. J. BEHRENDS, maxime scientiam adauxerunt. Certe, qui in rimandis nervis horum vestigia premer discipiunt, campum invenient, suo naturam perscrutandi desiderio plane sufficietur.

Sed singulorum Anatomicorum opera neurologica perlustrantes, plures sua in quædam duntaxat nervorum paria, vel specialium partium nervos studia impendisse, pauciores autem totum nervorum ambitum, vel systematica descriptione, vel diffusa pro dignitate commentatione complecti voluisse observamus; quasi singularis formido, ne imperfectum quid, vel erroneum exhiberetur, ab hoc amplissimo laborum genere eos absterruisset. Interea tamen ab EUSTACHIO exhibita nervorum delineatio summis digna est encomiis, &, ut alios reticeam, WILLISII atque VIEUSSENII prioris saeculi opera neurologica pulcerrimos eo jam tempore in nervorum studio progressus depingunt. Hos etiam duces plurimi postea in compendiis suis neurologicis adeo sunt seuti, ut aliorum observationes fusque deque habuisse videantur. Unde, dum celeberrimorum Virorum HALLER, ZINN, MONRO, CAMPER, MECHEL, ASCH rel. tum novæ observationes, tum antea exhibitarum emendationes & correctiones eam exhiberent scientiæ faciem, ut in contexendo tractatu neuro-

A

logi-

logico, omnia hæc additamenta recipiente, maxima requireretur sagacitas, nullum fane cel. ROLAND MARTIN, primus Stockholmienium Anatomiae Professor, magis exoptabile eruditio orbi largiri potuit donum, quam opus illud neurologicum, quod anno 1763, lingva svecana exaratum, Academiæ scientiarum Stockholmensi consecravit. Illud enim non solum observationes, tum antiquorum, tum recentiorum, circa nervorum in corpore vivo proprietates, breviter adumbrat; sed singulorum etiam decursus, non minus secundum aliorum optimæ notæ Auctorum recentissima inventa, quam propria tentamina, explanat. Nostri itaque Medicinæ Cultores, multo prius, quam exteri ducem sibi in addiscenda Neurologia gratulari potuerunt, prioribus facile palmam præripientem. Quare etiam nova hujus libri editio in latiali lingua A:o 1781 conscripta & novis observatis locupletata, a justo quovis arbitro de meliori nota fuit commendata.

Hæ tamen laudes nequaquam aliorum recentiori tempore celebratissimorum Virorum in eodem studio merita infringunt. Quis enim compendia neurologica cel. HAASE & COOPMAN scopo suo optime esse adaptata & in primis tractatum celeb. SOEMMERING, nuper editum, optimam mereri existimationem, non lubens fatebitur? In hoc scilicet, evitata omni noxia prolixitate, recentissima Anatomicorum observata, cum propriis, quibus cel. Auctor jam diu acceptissimum se reddidit, connexa, & descriptiones exoptatissima perspicuitate propositas invenies. Unicum, ut ingenue fatcar, quod in perlectione utilissimi hujus operis offendit, est nimium doctissimi Auctoris, partium quarumvis ab omnibus receptas denominations latinas in germanicam lingvam, transferendi studium; quæ cura, et si in aliis scientiis minus vituperanda, in anatomicis autem, errores ut taceam inde metuendos, non potest non remorram, cuivis etiam in hac lingva versatissimo, tædio plena, injicere. Quod tamen qualecumque impedimentum fidam hujus compendii manuaditionem nullatenus dubiam reddit.

Sed, licet dignitas materiæ requirat, ut cuiusvis fili nervei decursus accurate descriptione illustretur, sub ipsa tamen in cadaveribus nervorum præparatione & pertractatæ materiæ repetitione sciagraphicis descriptionibus negotium illud non parum levari crediderim. Tum enim in primis scire attinet, qui qualesque sub dissectione offendit nervi, quo ordine quisque ramus e trunco suo emittatur, quotque in progressu inire soleat copulas; unde, sicuti nuda ramorum enumeratio scopo sufficiens esse non potest, ita descriptio adeo ampla esse debet, ut cuiusvis rami decursum adumbrat, eoque illum ab aliis bene distingvat. Nec in enumerandis ipsis subtilioribus filiis brevitati nimis erit studendum; sub ipsa enim dissectione surculos quoscumque occurrentes conservare adlaboramus, summumque ex eo capescimus delectamentum, si in libris consulendis etiam hos indigitatos invenimus.

His itaque argumentis permotus, in componendo ejusmodi Elencho neurologico meas periclitari vires eo minus dubitavi, quum ad præparata neurologi-

logica varia in Theatro Anatomico conservata, illum exarare potuerim. Particulam autem dum tantum absolvō, non dubito, quin Commilitones mei æstutissimi, emolumenta ex ejusmodi tabulis perspicientes, ad filum incepsum cito pertexendum sese accingant.

Sed, ut non omnes pariter studio anatomico delectantur; ita videor me non adeo insolita impugnari objectione: apparere omnino, dum nervorum genuina indoles & in vivo corpore agendi ratio adhuc lateat, nec spes fit, fore, ut umquam detegatur, omnem scrupulosiore eorum investigationem plane supervacaneam esse atque inutilem. Hanc itaque quibusdam in antecesum refellere liceat argumentis. Est quidem verum, in natura nervorum examinanda altius adhuc nos non processisse, quam quod sciamus, quid nervus non sit, nequaquam vero, quam materia, quæ medullam nervi componit, indolem habeat; nec feliciora fuisse tentamina, quibus modum, quo effectum nervi suum exercerent, indagare voluerunt nonnulli, nos autem in eo adhuc subsistere, quod varias in hanc rem propositas opiniones suis refellere argumentis didicerimus.

Quisque optime quidem perspicit, cerebrum magnam in nervos exercere reactionem, sed quododo, plane nescitur. Filorum nerveorum detectas conjunctiones & implicationes bene multas quisque miratur, ipsisque usum adscribere non dubiat, & tamen experientia quotidiana convincimur, quemcumque partium consensum nerveum e cerebro capere scaturiginem, rarius autem consensum dictarum conjunctionum solum sequi cursum. Musculos machinæ animali veras suppeditare vires motrices, eosque nervorum influxu suam agendi vim acquirere, nemo ignorat: sed tamen variis edocemur experimentis, posse nervorum influxu, spasmodorum exemplo, motus in quibusdam partibus, quas culter anatomicus fibris muscularibus plane expertes cognovit, excitari: & parum abest, quin confiteri cogamur, vim quibusdam partibus inesse specialem motricem, quam vitalem nuncupent, nec a fibris muscularibus, nec a nervis pendentem. Sic etiam quædam partes per se inseniles, morbo correptæ, singularem nonnumquam produnt sensibilitatem.

Quæ cum ita sint, in indigitanda vera nervorum indole & explicandis eorum facultatibus Physiologum maximis premi difficultatibus quisque videt. Hæ tamen asfidui studii de nervorum ortu, decursu, implicationibus & filorum mutuis cohaesionibus necessitatem nullatenus posunt infringere, si de partium sentientium & non sentientium in statu sano qualitatibus, de cerebri in quodlibet organon majore vel minore influxu, & de indole & causis phænomenorum in morbis apparentium, variisque tum oborientibus in corpore mutationibus claram gestimus impetrare notionem. Qui indolem atque sequelas symptomatum rite dignoscere cupiunt & explicare, in limine scientiæ neurologicæ certe non subsistunt, sed subtilium ramorum notitiam suum etiam habere usum lubentes agnoscent.

Omnis impetrata, & forsan adhuc impetranda, de nervorum partiumque sentientium qualitatibus cognitio in exquisita eorundem distributionis notitia fundamentum ac robur suum obtinet. Antequam exterior eorum habitus atque dispositio, quæ primum oculos offendit, rite innotescit, instituta quævis in interiore massam experimenta variis obnoxia esse hallucinationibus, tum propositæ de non elasticitate nervorum opiniones, tum etiam plurimæ antehac de gangliorum usibus defensæ demonstrant hypotheses. Has prius refellere non potuerunt Physiologi, quam dum a cel. MONRO, SCARPA & SOEMMERING eorum genuina fabrica, plexus nervorum maxime involutos referens, detecta esset. Et licet vera nervorum agendi ratio ignoretur, licet explicari non possit, quomodo in nervo sub quavis sensatione excitata commotio ad sensorium propagetur, sub motu autem & quavis cerebri reactione vis a sensorio deorsum tendat, immo etiam interdum uno eodemque momento binæ hæ contrariæ mutationes coincidant, ut ex. gr. dum musculus dolet simulque moveatur; ast tamen, si de horum Phænomenorum aliorumque similiūm veritate fidis & iteratis experimentis, habemus vero bene multa, convincimur, tutius est in illa acquiescere, quam aliis hiulcis explicationibus receptas sententias oppugnare.

Non leve præterea ad nervorum subtiliorem investigationem præbet incitamentum, quod, simili modo ac ipsa cerebri subtilior structura & nervorum prima oriendi & progrediendi ratio, observantibus sic cel. VICQ D'AZYR, SOEMMERING & MALACARNE, vix ulla, vel levissimas offert aberrationes, eorum distributiones tam constanti subjici soleant legi, ut subtiliores fibrillarum partitiones summam in quovis subjecto conservent similitudinem. Ex quo certe patet, Creatorem in ordinanda filorum dispositione non lubricum & incertum, sed speciale, licet nobis incognitum, sibi præscripsisse finem, quem eo magis mirari & summa diligentia perquirere convenit, quum eadem in variis dispositione ratio non obtineat.

Præterea is, qui ex naturæ miraculorum investigatione & contemplatione delicium capit, si manum atque oculos in persequendis nervorum filis exercuerit, numquam ab hoc delassari potest negotio, & in repetendis stupendis ill. MECKEL atque WALTER laboribus idem persentiscit delectamentum, atque illi, qui indefeso studio tubulis vitreis invisiibilem vasorum absorbentium ad cutis superficiem cursum perscrutari tentant. Ars, ut proverbio vulgari utar, non habet osorem, nisi ignorantem. Is sinistrum de accurate Naturæ perquisitione unice fert judicium, omniaque ea, quæ ob innatam segnitatem addiscere non amat, vel ob adminiculorum defectum & judicii levitatem intelligere non potest, ad subtilia illa refert, quibus facile supersedere poscit.

  
Paria nervorum ex Encephalo in Cranio exorta, & per ejus foramina exeuntia, antiqui ad denarium numerum, primum cervicalium par huic adjungentes, redegerunt. Sed recentiores, de levi hujus calculi fundamento persuasi, & numerum rotundum, quem priores præoptaverant, spernentes, decimo pari debitum locum adsignarunt, & novem tantum cranio paria magno consensu adscripserunt. Sed, quo certius est, in naturæ studio ipsam naturam ducem sequendam esse, & arbitrarias partium divisiones, si naturæ repugnant, numquam esse admittendas, eo majori jure etiam Neoterici hunc receptum calculum ita mutarunt, ut jam undecim recipere paria non dubitem. Sunt nempe: PAR PRIMUM OLFACTORIUM, 2:um OPTICUM, 3:um OCULOMOTORIUM, 4:um TROCHLEATORIUM, 5:um TRIGEMINUM, 6:tum ABDUCENS, 7:mum FACIALE, 8:vum ACUSTICUM, 9:num GLOSSOPHARYNGEUM, 10:mum VAGUM, & 11:mum LINGVALE. His adjungitur nervus ACCESSORIUS, qui re vera ad cervicales pertinet nervos, sed ad cranium deductus, par Vagum comitatur. Nervis spinalibus 8 paria CERVICALIA, 12 DORSALIA, 5 LUMBALIA & 5 SACRALIA sunt adscribenda. His nervus SYMPATHETICUS s. INTERCOSTALIS, ex multis nervis conflatus, addi debet. Duplices nempe radices ex omnibus paribus spinalibus colligit, & demum quinto atque sexto pari capit is superius suum extremum inserit, vel ex iis deducit.

### PAR PRIMUM, OLFACTORIUM.

ORIGO. Nervus, omnium mollissimus & in ortu trigonus, tribus radicibus, demum confluentibus, componitur. Exterior medullaris & longissima in ipsa fissura lobo-

rum e lobo anteriore cerebri, vel in confiniis ejus & posterioris exorta, paullatim, novis advenientibus ex corticali massa striis medullaribus, increscit & introrsum atque antorsum inflectitur, quo secundæ medullari radici conjungatur. Hæc interior brevis est, & saepe duplex, atque jam pone posteriorem oram ultimi interioris lobi gyri, jam ex ipso gyro propullulat, nec non in progressu nova quædam stamina alba ab interna parte recipit eoque latefit. Tertia anterior radix, cinerea & latiuscula, e superjacente corticali substantia educta, sua cum prioribus miscela nervo lineis medullaribus & cinereis striatam exhibit superficiem.

Hoc modo conflatus nervus fulco, binos in lobi anterioris basi gyros intimos intercedenti, immergitur, planamque suam superficiem, arachnoidea alligatam, deorsum vertens, sensim ad ossis ethmoidei cristam procedit, ubi in *Bulbum cinereum* gangliiformem, supra planum, infra convexum, filis medullaribus commixtum, protuberat. Ex hujus inferiore facie, laminæ cribrosæ obversa, emittuntur

- 1) *rami exteriores*, 4 ad 10, exteriorem laminæ cribrosæ foraminum ordinem penetrantes & in conchæ Morgagnianæ atque mediae superficie plexuosos suos projicientes surculos:
- 2) *rami interiores*, 4 ad 12, prope laminam perpendicularem per totidem infundibula nares adeuntes, &, in septo narium dispersi, plexus formantes, quibus inferiorem septi partem attingunt:
- 3) *rami anteriores*, sub bulbi apice minora laminæ ostiola anteriora, extra ordinem disposita, penetrantes moxque in adjacente membrana evanescentes.  
Nullibi hi surculi cum reliquis narium nervis copulantur.

## PAR SECUNDUM, OPTICUM.

**ORIGO.** A posteriore & inferiore tuberculosa parte thala-

thalami nervorum opticorum sui lateris & huic adjacente corpore quadrigemino nervus medullam colligit, quæ, firmior evadens, & ad basin cerebri deducta, antrorum, sensim attenuata, ita flebitur, ut crura cerebri transgrediatur, demumque ad sellæ turcicæ anteriorem oram, ante infundibulum, dextra medullaris chorda sinistræ occurrat & cum illa recto fere angulo uniatur. Utraque vero prius, dum scilicet crus cerebri attingit, licet acuto limbo ab ipso se-jungi videatur, & sursum explanatam, deorsum vero convexam induat superficiem, nova tamen a superius jacente crure in transcurso colligit incrementa. Binorum autem nervorum concursu corpus formatur utcumque quadratum, planum, in quo, secundum quorundam antiquorum & recentiorum observationes, tum in homine, tum in animalibus, fibræ nerveæ eam decusationem subeunt, ut nervus, ex hujus quadrati corporis anteriore parte jam demum emittendus, a latere cerebri opposito suas, an dicam omnes, natus sit radices.

Iste vero, subteretem, ad inferiora aliquantum explanatam formam recipiens, extrorsum ad foramen opticum tendit, ubi interiore duræ matris lamina, vaginæ instar, ad scleroticam usque obducitur. Attingit demum, levi extrorsum & deorsum facta flexione, musculisque oculi & adipe obvelatus, bulbum, cuius inferiorem & interiorem diame-trum, non vero axin, penetrat. Prius tamen ad duas tertias in exteriore ejus versus tempora latere constringitur. Et quum pia mater, supra scleroticæ internam superficiem extendenda, prope hanc constrictiōnem laminam cribrosam formet, per illam arteria centralis, rete vasculosum forma-tura, ipsaque nervi medulla triginta circiter fasciculis me-dullaribus excurrit. Hi statim rursus confluunt & RETI-NAM generant, quæ, versus interiora vasculosa & pulposa, fibris-

fibrisque plexuosis composita, oculo concentrica est & supra vitreum corpus ad annulum usque orbicularem tendit, ubi tumidula ora, lineæ a lente distantia, finem suum demum invenit.

### PAR TERTIUM, OCULOMOTORIUM.

ORIGO. Prope marginem protuberantiae annularis anteriorem, a pedunculo cerebri, hic versus alterum in angulum confluente, penicillus radiatus filorum nerveorum emititur, qui primum in complanatum & demum cylindricum nervum abit. Quædam penicilli fila adeo profunde massam penetrant, ut ad substantiam nigricantem & commissuram anteriorem deduci possint; alia, antrorsum directa, ex ipsa protuberancia enasci videntur; quædam exteriora introrsum, atque alia interiora, ex fovea, quæ corpora mammillaria inter & protuberantiam cedit, educta, & oppositi lateris radicibus contigua, extrorsum inclinant. Formatus sic nervus extrorsum vergit &, penetrata arteriæ profundæ cerebri & cerebelli profundæ intercapedine, antrorsum versus apophysin clinoideam posteriorem sui lateris sese confert, adaptatum sibi in dura matre foramen offendit, cui se insinuat, eoque ad sellæ turcicæ latera intra duræ matris laminas antrorsum ad usque fissuram sphænoidalem superiorem orbitæ progreditur. Hoc suo sub occultato intra duram matrem cursu, plures alios socios habet nervos, sic tamen dispositos, ut se invicem non attingant, sed propriis septis sint sejuncti. Nervus nempe tertius superiorem & interiorem, quartus superiorem & exteriorem, sextus inferiorem & interiorem, quintus autem inferiorem & exteriorem obtinet locum. Ab orbita demum recipiendus nervus sub ala minore, adeoque ante dictam fissuram finditur, sed trajectis binis abducentis capitibus plenius dividitur.

a) Ra-

- a) *Ramus superior minor*, cono musculoſo ſe immittens & ſupra nervum opticum ad exteriora ſeſe dirigenſ, tumque exhibenſ

  - \*) ramos plures ad attollentem oculi;
  - \*\*) r:os plures minutos, ad elevatorem palpebrarum.

- b) *Ramus inferior major*, qui deorsum ſeſe ſub nervo optico flectit & porrigit;
- α) r:um interiorem inſignem, mox rufus diuiſum, ad muſculum adducentem;
- β) r:um medium, paullo minorem, ad deprimentem;
- γ) r:um inferiorem exteriorem, fortiorem, intra adipem ad orbitæ fundum demerſum & in medio muſculi obliqui minoris definentem;
- δ) *Radicem breviorē ganglii ophtalmici* dimidiæ lineæ longitudinis, complanatam & crasfam, ad exteriorem oram nervi optici a trunco vel ramo γ) emifam.

### PAR QUARTUM, TROCHLEATORIUM.

**ORIGO.** Tenuiſſimus hic omnium nervus duplices, triplices vel quadruplices, etſi ſubtiliſſimas habet radices, pone corpora quadrigemina e medulla adjacente ita egerminantes, ut nonnulli illas a ſtria transversali alba, alii a valvula magna cerebri derivaverint, & præterea in ejus crasfitie, longitudine ipſoque ſitu in ſingulo latere differen-tiam nonnumquam obſervarint. Conjunctis invicem medullaribus filis, nervus a posterioribus antrorſum, deorsum, & introrſum circum cerebri pedunculos in formam S romani conſleſtitur. Dum vero tentorii oram attigit, illius du-etur ſequitur & per fulcum ipſi adaptatum ita ſubrepit, ut ad proceſsum clinoideum posteriorem a proprio duræ matris canali recipiat, coque, a reliquis nervis ſejunctus, ad firſuram sphænoidalem perducatur orbitæque immergeatur.

tur. Hic autem par *tertium* transgreditur, & postea *frontali quinti* ita se adjungit, ut cum illo copulam iniisse viderit cl. SOEMMERING, tumque ad orbitæ internum latus sese flectit, quo obliqui majoris sive trochlearis anterius extreum carneum attingat. Consumitur ibi

- 1) ramis minutis, musculo sese immersentibus;
- 2) ramusculo tenui, interdum deficiente, oram obliqui superioris inferiorem sequente, & postmodum vel supra, vel infra ligamentum tarsi, ad musculum orbicularem penetrante, ibique minutis filis cum *infratrocbleari nasalis* atque *infratrocbleari frontalis* sese connectente.

### PAR QUINTUM, TRIGEMINUM.

ORIGO. Ex media parte pedunculorum cerebelli, mox protuberantiam annularem formantium, fasciculus filorum nerveorum insignis prorumpit, qui tum ipso ortu, tum etiam sub reliquo cursu multa offert memoranda. In duas nempe portiones, medullari, in formam ligulæ, ipsis interjecta massa, facile secedit; quarum *minor* anterior paucioribus, octo nempe ad decem, sed crassioribus, mollioribus & albidiobribus filis constat; *major* autem, altius ad plures lineas in ipsa massa persequenda, quasi ex propria pedunculi fissura educitur, & ad 80 vel 100 continet subtiliora fila. Tela cellulosa & vasculis inter se connexa, fasciam invicem componunt explanatam, quæ sub tentorio ad suum in durâ matre efformatum & supra osis petrofi acutum angulum prope sellæ turcicæ latera antrorum excurrentem canalem tendit. Fascia vero hic inclusa non tantum valde expanditur, sed etiam, dum mollius, sursum arcuatum, plexuosis filis nervis compositum, vasculisque copiose ditatum Ganglion sibi fingit, quod *Gasserianum* nuncupant, crassitie fere decies augetur. Sed huic tenacæ nervosæ praedita portio minor  
non

non nisi per quædam tenuia fila est immixta, quæ de cetero plexum majorem oblique transcendit, prioremque latitudinem retinens, illi portioni se adjungit, quæ rami tertii futura est genetrix. Dura mater jam adeo nervo accrescit, ut fila ipsi immisceri videantur &, licet illam rursus derelinquant, sine dilaceratione tamen vix separari possint. Sed mox rursus aliquantum contrahitur nervus, simulque prope foramina sua primariam subit divisionem, laxius dura matre jam obductam. Exhibit nempe Nervum OPHTHALMICUM, MAXILLAREM SUPERIOREM, & MAXILLAREM INFERIOREM.

I. N. OPHTHALMICUS minor reliquis est & ad sellæ turcicæ latera horizontalem situm, quem truncus primum receperat, inter laminas duræ matris, ipsi adglutinatas, retinet, usque dum fissuram sphænoidalem attingat. In tres ramos mature partitus, his orbitæ se immergit.

i) FRONTALIS, superior & medius, recta antrorum incedens & superficiem elevatoris palpebræ, vel oram ejus internam sub orbitæ periosteо sequens. In medio per orbitam cursu dividitur.

a) *Supraorbitalis*, trunculi directionem ad foramen supraorbitale continuans, &, trajecto illo, sub corrugatoris exteriore extremo subque orbiculari & frontali sursum sese flectens, deumque in frontis medio ad verticem sese elevans. Ex hoc derivandi

- 1) r:us introrsum tendens ad corrugatorem;
- 2) *palpebralis superior*, extrorsum inter orbicularis fibras longe descendens & minutos musculo porrigens surculos;
- 3) r:us communicans cum *supratrochleari*;
- 4) *rami consensuales* bini, extrorsum & sursum supra orbitam sub orbiculari enati, ad tempora usque sub musculo in arcum veluti sese flectentes. Emittunt ingentem undiquaque filorum copiam, ex quibus nonnulli cum *temporalis superficialis ramo anteriore*, cumque *orbitali inferiore facialis*, ut & cum *subcutaneo malæ rami 2:di 5:ti* paris sunt irretiendi.

## SCIAGRAPHICA DESCRIPTIO

- 5) 6) *rami profundi, exterior & interior frontalis*, qui reliquum consumunt truncum, & insignioris sunt crassitie, frontalique musculo subiecti, cuti, muscularis & adrepentibus aliis nervis furculos affatim largiuntur.
- b) *Supratrochlearis*, crassitie minor, introrsum ad orbitæ oram properans, & sub ejus muscularis ad exteriorem trochleæ limite in frontis superficie, non vero ultra ejus medium exspatians. Dat
- 1) r:um communicantem cum *frontali* atque alium ab interna parte cum *infratrochleari*;
  - 2) r:os ad palpebras descendentes & in orbiculari atque cute definentes;
  - 3) r:os 2 vel 3, saepe per proprium orbitæ foraminulum reflexos, in corrugatore, orbiculari & frontali atque cute late se diffundentes.
- c) *Infratrochlearis*, minor præcedenti, in angulo interno orbitæ infra trochleam sub muscularis conspiciendus, tum vero sursum ad frontis supra nares regionem sese flectens. Impertit
- α) r:um cum *supratrochleari* atque alium cum *infratrochleari nasal* cohærentem;
  - β) r:os eum paris quarti surculis conjunctos;
  - γ) r:um tenuem ad palpebram inferiorem, carunculam lacrymalem & saccum dejectum;
  - δ) r:um, ligamentum tarsi & venam angularem transcendentem, & deum cum *orbitalis inferioris infimo* ramo nervi *facialis* in angulo orbitæ copulam ineuntem;
  - ε) r:os musculares tenues;
  - ζ) r:os cutaneos sursum ad frontem & glabellam propulsos.
- II) **NASALIS f. NASO-OCULARIS.** Ad externum nervi optici latus primum collocatus, progrediendo tertium par & nervum opticum, inter hunc & muscularum attollentem oblique prorepens, transcendent, eoque supra adducentem orbitæ interiorem parietem attingit. Hujus ductum nunc antrorum sequitur & deum supra ligamentum tarsi extra orbitam consumitur. Porrigit
- α) *Radicem longam ganglii Optibalmici*, tenuem, 6 lineas longam, ante trunci in fissura sphænoidalii immersionem angu-

angulo acutissimo jam eductam, & in brevioris radicis concursu ganglion, ad externum nervi optici latus quadratum, hinc convexum, inde concavum, nervorumque ciliarium plurium ortui destinatum, progignentem. De his infra.

- b) *Ciliares superiores internos*, duplices, supra nervum opticum ad oculum prorepentes, de quibus suo loco.
- c) *Nasalem proprium*. Hic ex transverso una cum arteria foramen ethmoidale penetrat & per proprium canalem osseum, inter cellulas ethmoidales delitescentem, sensim ad laminam cribrosam defertur, ubi foramen quadram introrsum permeat & in cranii cavo, inter cristam ethmoidalem & duram matrem reconditus, antrorsum ita cursum dirigit, ut aliud ex anterioribus foramen pertingat. Huic rursus pone sinus frontales immersus, fulcum interiori superficie ossium nasi insculptum sequitur, demumque septi cartilaginei marginem dorsalem attingit, eoque ad nasi globum propellitur. Pluribus minutis ramulis, in concha superiore, membrana narium & cute dispersis, sensim consumitur.
- d) *Infratrocblearem nasalem*, in quo truncus evanescit, jam majorem, jam minorem, prout prior *infratrocblearis insignioris* fuerit habitus & plures dimiserit surculos, alias ab hoc nervo exspectandos. In orbitae angulo impertit

\*) r:os cum pare *quarto* & *infratrocbleari* coēentes;

\*\*) r:um cum *orbitali facialis* supra dicto cohærentem;

\*\*\*) r:os minutos musculares;

\*\*\*\*) r:os ad cutem circa narium radicem distributos.

Nervi *Ciliares*, tum ex ganglio *Ophtalmico*, tum etiam ex nervo *nasali* progerminant. Numero a 6 ad 16 variant, & mox rursus in nova dividuntur fila, quæ in nervi optici comitatu, adippe & arteriolis involuta, sensim ad scleroticam pertingunt. Dispositio tamen eorum, ratione nervi, cui adjacent, ea est, ut quidam ex his *ciliares exteriores superiores*, alii *exteriores inferiores*, alii *interiores inferiores*, atque demum alii *interiores superiores*.

*riores* appellari possint. Vel in binos fasciculos dispesci posunt, quorum *minor superior* tribus nervis, mox in sex, inæqualis magnitudinis, divisis componitur, alter *inferior major* ex sex surculis, rursus in minores partitis, conflatur, & circa externam inferiorem & internam nervi superficiem conflectitur. De cetero recte & nullo formato plexu procedunt, scleroticæ posteriorem superficiem oblique pertundunt, tumque inter illam & choroideam antrosum parallele excurrunt, atque demum trans ligamentum ciliare, in pluscula parti filia, iridi, ut & forsitan coronæ ciliari se insinuant.

III) LACRYMALIS, minor prioribus, & sub orbitæ periosteo extrorsum dejectus, supra musculum abducentem glandulæ lacrymali se insinuans. In orbitæ cavo surculum a *frontali* recipit & præterea emittit

α) fasciculum ramorum, glandulæ immersum, & postea tum in tunica adnata oculi, tum in interna superioris palpebræ superficie evanescens;

β) *r:um anastomoticum* extrorsum & deorsum ad foramen quoddam, externi orbitæ parieti insculptum, tendentem, &, habita ante introitum cum *subcutanei malæ* surculo anastomosi, in fosfæ temporalis anteriore parte, quo tendit, cum nervi *temporalis profundi interioris quinti paris* surculo nexum ineuntem.

II. N. MAXILLARIS SUPERIOR. Crassitie medius, sed insignis fasciculus, qui, a communi trunco decedens, cum *Ophthalmico* valde acutum, cum *Maxillari inferiore* majorem angulum format. Dum antrorsum eundo canalem rotundum pertigit, formæ illius adaptatur, & horizontalem, quam recepit, directionem ad finem usque retinet. Penetrato scilicet illo, intercapelinem, tuberi maxillari atque alis pterigoideis intercedentem, adipe & vasculis atque tela cellulari repletam, transgreditur, eoque fissuram sphænomaxillarym

larem attingit, cui se ea ratione insinuat, ut a canali infraorbitali, posterius semicanalem formante, pone orbitæ periosteum recipiatur. Et hoc modo totum orbitæ fundum transcurrrens, per foramen infraorbitale demum sub musculo elevatore labii proprio in facie erumpit, suas naso, labio superiori & palpebræ inferiori largitus propagines, & frequentissimas cum *facialibus* & *buccinatorio* celebratus copulas. Multiplices suos sequenti ordine emittit ramos:

I) **SUBCUTANEUS MALÆ.** E trunci, in prædicta ossium intercapidine collocati, superiore ora enatus, similem ipsi cursum, sed paullo tamen extrorsum dirigit & fisturam ibique collectam, una cum periosteo, telam cellularem ita penetrat, ut sub recto inferiore oræ exteriori sulci infraorbitalis apponatur. Et sic orbitam ad eum usque locum, ubi nervus maxillaris a perfecto canali occultatur, transcurrit. Tum vero, surculo ad nervum lacrymalem emisso, magis extrorsum se conflectit, sed recta tamen via ad orbitæ arcum inferiorem ducitur, cui se, vel adhuc integer, vel etiam fisis, per proprios canales insinuat, atque demum, per proprium, interdum duplex foramen, in superficie corporis ossis jugalis externa conspicendum, ad faciem defertur, ultimos suos hic spargens ramusculos.

a) *Ramus anastomoticus interior*, in medio orbitæ extrorsum ad alam sphænoidalem eductus, &, inita cum ramo nervi *lacrymalis* copula, in ejus societate, per foramen quoddam ipsis adaptatum viam suam ad fossam temporalem nervumque *temporalem profundum internum* dicens. Non raro tamen, si hæc subcutanei propago statim proprium canalem perreptat, nec ad nervum *lacrymalem* ascendit, hæcce *trium 5:ti paris* ramorum communis conjunctio non nisi in ipsa temporali fossa celebratur. Sed præter surculum, copulam ineuntem, porrigit

\*) r:os subtile, musculo temporali immersos;

\*\*) r:um fortior, prope arcum orbitalem aponeurosin temporalem pertundentem, & sub cute late dispersum, quo cum temporali-

*ramibus superficialibus facialis & quinti, cum orbitali superiore, & consensuali anastomoses ineat. Nonnumquam minus late diffunditur.*

b) *Ramus anastomoticus exterior*, fæpe duplex, ultimum nervi constituens extremum, & in ossis jugalis superficie, inter adipem & cellulofam delitescens, plures cum orbitali inferiore & faciali superiore atque medio nexus initurus.

II) **RAMUS INSIGNIOR**, in prædicta intercapidine deorsum & introrūm versus foramen sphænoplatinum propulsus, &, absoluta vix duarum linearum via, in ganglion *Sphænoplatinum* ovale & cordiforme, foramen illud suo modo extus replens, extuberans. Ex hoc vero ganglio, vel si, quod nonnumquam accidit, defuerit, ex communi crassiore ramo ante foramen illud propelluntur:

a) *introrsum, N. Nasales anteriores superiores*, tres vel quatuor furculi, arteriæ nasalis comitatu per foramen sphænoplatinum ad cavum narium tendentes, suasque propagines ante sinus sphænoidales ad cellulas ethmoidales posteriores, concham superiorem & partem septi posteriorem emittentes.

β) *introrsum & antrosum, N. Nasopalatinus*, superato eodem foramine, sub sinu sphænoidali ad septum narium inclinans, tumque super illud in membrana narium ita antrosum & deorsum excurrens, ut demum foramen palatinum anterius emetiatur, quo trajecto, in palati membrana pone dentes incisivos ultimos furculos, etiam cum nervis *palatinis* irretiendos, producit.

γ) *retrorsum, N. Pterigoideus seu Vidianus*, canali ejusdem nominis, radicibus alarum pterigoidearum, paullo inferiorius & interius quam foramen rotundum, impresso & dura matre vestito, sese immergens, eoque ductu, in duos fisis furculos, per aperturam canalis sui posteriorem versus foramen lacerum anterius, extus cartilagine occlusum, ad interiorem sive anteriorem canalis carotici aperturam sese extendens. Ex hoc deducendi

\*) Na-

- \**Nasales posteriores superiores*, minores surculi, alæ internæ pterigoideæ radicem penetrantes, sicque in posteriore narium cavo fila tubæ regioni, conchis superioribus & septo immittentes;
- \*\*) *N. Petrosus f. superficialis*, fissi trunci superior ramus, cranii cavum trans foraminis laceri cartilaginem adrepens, &, pone quinti paris ramum tertium, inter os duramque matrem, extrorsum, sursum atque retrorsum ad fissuram aquæductus Fallopii exspatians; cui immisus, memorandam cum *faciali* init anastomosin;
- \*\*\*) *N. Profundus*, inferior fissi trunci ramus, non raro in duos surculos rursus dividendus, e canali pterigoideo, perforata dura matre, recto ductu ad canalis carotici anteriorem horizontalem partem extrorsum & retrorsum sese conferens, &, adjecto ibi, retrorsum eunte, sexti paris surculo, saepe duplice, cui acuto angulo inseritur, circa arteriam carotidem cerebralem nervum formans, veram & constantem *nervi intercostalis f. sympathicus* radicem cerebralem constituentem. Monendum tamen, quosdam Anatomicos ab *intercostali*, quem cerebri nervos adire, non vero ab illis enasci putant, hosce surculos derivare. Varietates, in hac ramorum dispositione detectas, jam enumerare superfluum est.
- δ) *deorsum*, *N. Palatinus*, fasciculum ramorum canali, inter alas pterigoideas & tuber maxillare efficto, immersum, constituens: Ex quo
  - a) *Palatinus anterior*, major, foraminis palatini posterioris permeatu, pone dentes molares, in palati fornice late excurrens. Exhibit
  - \**Nasales posteriores inferiores*, qui in canali pterigo-palatino portionem perpendicularem ossis palati pertundunt & dein in concha inferiore narium circumreplant, vel simplici ramo, inter concham medium & inferiorem diviso, superiore nempe meatum narium medium conchamque medium, inferiore autem concham inferiorem adeunt;
  - \*\*) *r:um exteriorem*, propulso ad palatum nervo, ibi dividendo, in membrana palatina arcum alveolarem antrorum, pro exhibendis ad gingivas membranamque palatinam nervis, sequentem, demumque prope foramen palatinum anterius nervo *na/o-palatino* occurrentem;
  - \*\*\*) *r:um interiorem*, in membrana glandulosa ad suturam palatinam medium & antrorum versus incisivos dentes suis surculis dejectum.
  - b) *Palatinus posterior*, magnitudine medius, &, penetrato ante hamulum pterigoideum foramine pterigo-palatino, introrsum descen-

## SCIAGRAPHICA DESCRIPTIO

scendens; surculos suos ad circumflexum, rectum palati, uvulam, cutemque palati propulsurus.

c) *Palatinus exterior*, minor, inter musc. pterigoidei externi originem & antri posticam faciem extrorsum descendens, tum vero, canaliculo pterigo-palatino offenso, ipsi se immittens, rursusque emergens; quo glandulis palatinis, tonsillis atque velo palatino fila subtiliora impertiat.

III) ALVEOLARIS DENTALIS POSTERIOR, e trunco, dum in eo est, ut fissuram sphænomaxillarem intret, deorsum ejectus, & per pinguedinem, in tuberis maxillaris superficie, ipsi formato ostio sese ingerens atque demum in canali osseo prope antrum maxillare cum *alveolari anteriore* insignem celebrans copulam.

\* R:us *exterior*, ante nervi immersionem eductus, in gingivas & posteriorem buccinatoris finem surculos emittens.

\*\* R:us *interior*, in fulco internæ sinus maxillaris superficie, vel in proprio canali antrorum propullulans & cum *alveolari anteriore* anastomosi conveniens. Ex hoc rami quasvis dentium molarium posteriorum radices & membranam, antrum interius obducentem, adeuntes, derivandi.

IV) ALVEOLARES DENTALES ANTERIORES, in ipso canali infraorbitali intra osis substantiam per proprios canales educti, & exhibentes

\* r:os plures ad reliquos omnes dentium alveolos distributos;

\*\* r:um in proprio canali inter laminas processus orbitalis maxillæ extrorsum & retrorsum versus antrum decurrentem, &, perforato osse, cum *alveolari posteriore* communicantem. Ramos etiam dentium alveolis & membranæ sinus largitur, & interdum quosdam ad narium cavum propellit.

V) PLEXUS INFRAORBITALIS, insignis nervorum fasciculus, quo truncus, *Infraorbitalis* appellandus, per foramen ejusdem nominis, sub labii superioris elevatore emergens, disolvitur. Ex his notandi sunt:

a) *Pal.*

- a) *Palpebrales inferiores*, duo vel tres rami, sursum flexi & in musculo orbiculari, facco, caruncula ipsaque palpebra consumti.  
 \*) *R:us exterior*, sub fibris musculi orbicularis ad angulum externum tarsumque excurrens, *nervo orbitali facialis* jungendus:  
 \*\*) *R:us interior*, versus angulum internum nasumque tendens & *facialis* atque *infratrocchleari* connectendus.
- b) *Nasales superficiales*, plures rami, inter se varie connexi nasique superficiem adeuntes, ex quibus  
 \*) *r:us superior*, sub levatore labii versus nasum excurrens, & in *superiorem*, *medium* atque *inferiorem* ramum rursus divisus, priori musculo, compressori, nasoque fila impertiens;  
 \*\*) *r:us inferior*, major, ad alas pinnasque projectus, & septi oram ad globum usque legens.  
 Frequentes cum *facialibus* ineunt copulas.
- c) *Labiales superiores*, etiam plures, quorum nonnulli *intimi*, alii *medii*, alii *externi* sunt, plures vero vel in musculis adjacentibus, vel in cute evanescunt; unus *palpebrales inferiores extimus* gignit, & aliis, intimus, cum *nasali inferiore* conjungitur; nec non præterea frequentissimas cum *facialibus*, *superiore*, *medio* & *inferiore* anastomoses celebrant.

III. N. MAXILLARIS INFERIOR s. GUSTATORIUS.  
 Trium trunci ramorum maximus est, &, recepto toto minore nervi exorientis fasciculo, ad foramen ovale properat, quo traje<sup>cto</sup>, pone maxillam inferiorem & musculum pterygoideum externum in octo præcipuos abit ramos, ita dispositos, ut binos fasciculos forment, quorum *anterior* quinque extrorsum & retrorsum propulsos, *posterior* & *inferior* autem tres reliquos, deorsum tendentes, projicit surculos.

#### FASCICULI ANTERIORIS

- I) *MASSETERICUS*, ante faciem articulatoriam ossis temporum, ex anteriore quinti paris parte eductus, &, pressim ossis sphænoidei apophysi temporali adhærendo, supra C 2 musc.

musc. pterigoideum externum & sub osse temporum transversim & extrorsum migrans, dein vero inter musculum temporalem & pterigoideum externum ad interstitium semilunare, apophyse coronoideam & condyloideam intercedens, retro musc. temporalis tendinem in masfeterem sese projiciens. Dat simul

- a) r:os nonnullos ad capsulam articulatoriam;
- b) r:os ad musculum pterigoideum externum & temporalem;
- c) r:os multifidos masfeteris carni immersos.

II) TEMPORALIS PROFUNDUS EXTERIOR, interdum etiam *N. Masfeterici*, *Buccinatorii* vel *Temporalis profundi interioris* propago, secundum alae magnæ sphænoidis ductum sursum & extrorsum sese elevans, & in musculi temporalis posteriore carne, factis novis & repetitis divisionibus, evanescens. Deest saepe.

III) TEMPORALIS PROFUNDUS INTERIOR, major, extrorsum & antrorsum juxta alas sphænoideas, supra pterigoideum externum, versus fossæ temporalis anteriora reflexus; divisus in

- \* r:um posteriorem, in crotaphitidis carne evanescens;
- \*\* r:um anteriorem, nervum *lacrymalem* & *subcutaneum* *males* prædicta ratione excipientem, & de reliquo in musc. temporali consumtum.

IV) BUCCINATORIUS, antrorsum & deorsum inter binos musculos pterigoideos, vel per pterigoidei externi carnem primum emisus, viam suam postea ita dirigens, ut inter musc. temporalem atque alveolos & demum inter maxillam masfeteremque & musculum buccinatorem transversim decurrat, eoque ad ipsas genas pertingat, quo ultimam divisionem, angulo oris inferendam, subire possit. Dat

- a) r:os ad musculum pterigoideum externum;
- b) r:os tres ad temporalem atque alios ad pterigoideum externum;
- c) r:os quatuor ad buccinatorem glandulasque bucales;
- d) *Ramum inferiorem*, divisi trunci majorem, sub vena facia-

ciali transverse antrorum incedentem & copulam cum *faciali superiore* & *inferiore* ineuntem, quo etiam vena laqueis irretitur. Sed e conjunctionis puncto rami propullulant, in angulo oris ejusque musculis, buccinatore, depresore, & elevatore labiorum evanescentes;

- e) *Ramum superiorem*, minorem divisi nervi propaginem, sub vena faciali trans buccinatorem antrorum tendentem, &, reflexo ramo, cum nervo *faciali superiore* conexo, laqueum circa hanc venam formantem, ultimis vero surculis in buccinatoris musculo terminandum. Hi inter se necti nervi plures in facie insulas a vasis transgrediendas, formant. *N. Buccinatorius & temporalis profundus int.* fuos a minore nervi exorientis fasciculo, observante PALETTA, derivant natales.

V) PTERIGOIDEUS, minor, interdum ex prioribus ejectus, sed proprie musculo circumflexo & pterigoideo interno, in quo maxime circumrepit, destinatus.

#### FASCICULI POSTERIORIS:

VI) MAXILLARIS INFERIOR, plerumque initio trium quatuor linearum spatio cum *linguali*, posteriorem tamen & exteriorem locum occupando, cohærens & inter binos musculos pterigoideos supra arteriam maxillarem internam, atque paullo inferius, inter pterigoideum internum & apophysin condyloideam ita descendens, ut canalis inframaxillaris foramen interius attingat. Ipsi vero nunc immersus, viam ejus sequitur & per foramen inframaxillare exitum rursus pro plexu *inframaxillari* formando invenit. Porrigit

- a) *Mylohyoideum*, subtilem nervum, a trunco, dum ipsum canalem intrat, exhibitum, & postea inter pterigoideum internum ramumque maxillæ in proprio fulco ossis, posteriori superficie insculpto, decurrentem; sed prope maxillæ angulum & pterigoidei anteriorem oram, inter glandulas Varthonianas maxillamque ita elabentem, ut jam in superficie mylohyoidei externi excurre-

currat, demumque versus mentum ultimam subeat divisionem.

\*) R:mi ad glandulas Varthonianas;

\*\*) R:mi ad mylohyoideum.

1) *Ramus superior*, divisi trunculi, inter mylohyoideum & anteriores digastrici ventrem ad mentum sese flectens, ipsi ut et prioribus surculos impertiens muscularis, & cum quibusdam nervis *labialis* anastomoses iniens.

2) *Ramus inferior*, pone priorem in biventris carne anteriore evanescens.

β) *Rami dentales posteriores*, radices dentium posteriorum, dum nervus canalem transcurrit, ut et, teste MONRO, gingivas adeuntes.

γ) *Ramus dentalis anterior*, qui, dum truncus foramen inframaxillare penetrat, sub dente bicuspidi in osis cellulari substantia antrorum ad symphysein usque prorepit, atque sic anteriores dentes nervis ditat.

*Plexus inframaxillaris*, a depresso anguli oris occultatus, labio inferiori, angulo oris atque mento nervos exhibit. Sunt vero *Labiales inferiores*:

\*) *Exterior*, valde ramosus, surculos in depresso anguli, orbiculari labiorum cutemque ablegans & anastomoses cum *faciali inferiore* iniens;

\*\*) *Interior*, major, fibris musculi quadrati tectus, & in numerosos partitus surculos, partim quadrato immersos, partim cum *buccali* & *marginali facialis* junctos, & præcipue profunde per plexus in orbiculari, mentali, cuteque labii inferioris dispersos.

VII) *LINGVALIS*, qui communiter, supra arteriam maxillarem internam a nervo *maxillari* secedens & pone illam musculumque pterigoideum externum descendens, inter ramum maxillæ & pterigoideum internum citra nervum *mylohyoideum* proserpit; sub angulo autem maxillæ elabens, transversa flexione supra glandulas maxillares inter *styloglossum* & *mylohyoideum*, atque deinceps inter glandulas sublinguales & *hyoglossum*, ductus Varthoniani comitatu, antrorum excurrit, demumque, in 5 vel 6 ramos substantiae lingvæ immersos partitus, superficiem lingvæ attingit inque ipsis papillis ultimum suum invenit finem.

Re-

Recipit aliquot a *maxillaris inferioris* sejunctione lineis, ante levatorem palati & circumflexum, *Cbordam tympani*, acuto angulo oræ nervi insertam posteriori. Emittit vero

- α) r:os nonnullos ad pterigoideum internum;
- β) r:os tres sub angulo maxillæ, dum a perpendiculari in transversalem truncus incurvatur viam, ita eductos, ut ex inferioribus nervi fibris duo posteriores antrorum & aliis anterior retrogrado itinere versus glandulam descendant, eoque in *ganglion ovale*, rubicundum, *Maxillare nuncupatum*, coalescant. Ex hocce minuto ganglio derivantur
  - \*) r:mi bini, in hyoglosso cum nervo undecimo coēuntes;
  - \*\*) r:mi cum *nervis mollibus nervi sympathici* irretiti;
  - \*\*\*) r:mi 5 ad 6 ad glandulam radiatim dispersi;
  - \*\*\*\*) r:mi in geniohyoideo consumti.
- γ) r:os duos vel tres in superficie musculi hyoglossi cum nervo *undecimo* multiplicatam ineuntes anastomosin;
- δ) r:os in glandula sublingvali, membranaque oris pone dentes incisivos desinentes.

VIII) TEMPORALIS SUPERFICIALIS. Radices habet duplices, propriam superiorem & aliam inferiorem a maxillari emissam, quibus demum confluentibus, laqueus circa arteriam meningeam medium formatur memorandus. Nervus vero retrorsum inter meatum auditorium & apophyse condyloideam primum descendit, tum vero a parotide hic immersa obvelatus, ita sursum & antrorsum slectitur, ut arcum zygomaticum attingat. Continuata autem sub parotide flexione arcum deum transcendit & ante aurem externam sub cute & supra aponeurosin in posteriore temporum regione late divagatur. Emittit

- α) r:os binos, dum nervus inflecti incipit, ejectos, pone condylum adscendentibus, & canali auditorio cartilagineo destinatos. Horum *superior*, major, ab anterioribus retrorsum superiorem meatus partem circumlegens, inter osseum & cartilagineum meatum introrsum prorepet,

&amp;

## SCIAGRAPHICA DESCRIPTIO

& demum in interna concava meatus superficie atque concha surculos suos spargit. Alter *inferior*, minor, anteriori cartilagini prope partem meatus osseam se immersit, tumque retrorsum propellitur, & sub hoc curfu, ut prior, in interna meatus superficie, concha glandulisque ceruminosis evanescit.

- b) r:mi minores, articulationi & meatus auditorii externæ superficie dicati;
  - c) r:mi duo *anastomotici*, maiores, profundi. Dum nempe truncus sursum & antrorum flecti incipit, *major* ramus ex alto erexit, qui supra posteriorem processus condylloidei superficiem antrorum tendit, arteriam temporalem transgreditur, demumque, vel indivisus, vel in duos tresve ramos divisus, cum ramis *temporalibus* *facialis* conjungitur. Alter *minor*, dum truncus ad arteriam usque temporalem penetravit, exoriens, ramo *ascendenti faciali*, nondum diviso, injungitur. Sæpe bini nervi ita invicem disponuntur, ut arteriam temporalem laqueo circumdcent.
  - d) r:mi ad parotideum;
  - e) r:mi ad tragum & partem helicis anticam eoque ad conchæ superficiem internam derivandi, anastomosin etiam cum *auriculari tertii parvis cervicalium* celebrantibus;
  - f) *Auricularis anterior*, sursum nunc flexi trunci pars insignior & anterior, quæ, arteriam temporalem transgrediviens, in temporum superficie, tum ad frontis latera, tum versus occiput surculos propellit, cum adjacentibus nervis anastomoses varias formantes;
  - g) *Auricularis posterior*, paullo minor, in societate *auricularis anterioris* ad externam aurem & in primis ad helicem propulsus, indeque ad cutem supra aurem sese extendens. Si *auriculares* minus late divagantur, *faciales* nervi eorum vices supplent.
-

SCIAGRAPHICA  
NERVORUM CAPITIS DESCRIPTIO,  
ET QUIDEM PARIS  
6:TI 7:MI 8:VI 9:NI 10:MI ET 11:MI,

---

QUAM  
*VENIA EXPER. ORD. MED. UPSAL.*

P RÆS I D E  
*ADOLPHO MURRAY,*

M. D. ANAT. ET CHIR. PROFESS. R. ET O. SOC. SCIENT. UPSAL.  
ACAD. REG. SCIENT. HOLM. VLISSING. BASIL. FLORENT.  
BOTAN. ET GEORGOPH. UT ET SIENENS. ET  
BEROL. N. C. MEMBRO,

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT

*Johannes Noræus,*

UPLANDUS.

IN AUDIT. GUST. MAJ. D. XV MAJI MDCCXIII.

H. A. ET P. M. S.

---

U P S A L I Æ ,  
EX PRELO VIDUÆ DIRECT. JOHAN. EDMAN.

SCIVICQUE HINC  
HARMONIUM QVAM ET DE CATHOLICO  
EST. ET QVAM ET DE CATHOLICO

SCIVICQUE HINC  
HARMONIUM QVAM ET DE CATHOLICO  
EST. ET QVAM ET DE CATHOLICO

SCIVICQUE HINC  
HARMONIUM QVAM ET DE CATHOLICO  
EST. ET QVAM ET DE CATHOLICO

SCIVICQUE HINC  
HARMONIUM QVAM ET DE CATHOLICO  
EST. ET QVAM ET DE CATHOLICO

SCIVICQUE HINC  
HARMONIUM QVAM ET DE CATHOLICO  
EST. ET QVAM ET DE CATHOLICO

# SCIAGRAPHICA DESCRIPTIO NERVORUM CAPITIS.

---

## PAR SEXTUM, ABDUCENS.

**O**RIGO. Ex sulco, protuberantiae annulari & medullæ spinalis origini interposito, ita erumpit, ut fila ejus utrique, plura tamen corporibus pyramidalibus & olivari- bus adscribi debeant. Hæc demum collecta, binos conflant, majorem nempe externum & internum multo tenuiorem, fasciculos, tela cellulari invicem junctos, sed vasculis sepa- ratos, & nervum denique producentes, dum vel citius, vel non ante eorum in sinum cavernosum ingressum coalescunt, complanatum, mediæ inter tertium & quartum par magnitudinis. Hic, antrorsum & introrsum procedens, foramen, nonnumquam bifidum, ipsi in dura matre infra quintum par exsculptum, sed magis introrsum versus processus cli- noideos permeat tumque latera sellæ turcicæ perreptat, & receptaculo immersitur, atque simul carotidem internam, e canali suo jam elevatam, laxa vero tela cellulari illi revin- etam, transcurrit. Repto demum tramite fissuram sphænoi- dalem superiorem attingit, & per illam inter musculi abdu- centis bina capita in 5:ti paris *nasalis* & 3:ti paris societate orbitæ cavum ingreditur. Jam autem, extrorsum porrectus, ramis pluribus in musculo abducente demergitur.

Carotidem vero prædicto modo transcendens, laxiorem non solum atque rubicundum acquirit habitum, sed retro- grado & acuto angulo simplicem vel duplicem largitur sur- culum, canali carotico profunde fere immittentem, inque illo, vel etiam extra canalem in collo, cum nervi *pterigoi-*

A

dei

*dei f. Vidiani* ramo profundo copulam ineuntem, ex qua nervus *Sympathicus f. Intercostalis* conflatur. Post hujus autem retrorsum dejecti furculi emisionem crassitie truncus increscit.

Quas ratione ortus & reliquæ progressionis obtulit nervus varietates, ill. SOEMMERING optime docet.

### PAR SEPTIMUM, FACIALE f. DURUM f. COMMUNICANS FACIEI.

**ORIGO.** Inter posteriorem & inferiorem protuberantiae annularis oram ejusque cum medulla spinali nexum, ut et prope exteriorem & lateralem corporum olivarium ambitum, juxta nervi auditorii sedem, fasciculus ramorum propullulat, qui nervo *Faciali* originem præbet. Fila vero hæc a proxima protuberantiae medulla, ut et corporibus restiformibus, quasi ex ipso hic observando sinu emituntur, nec late intus dispersa videntur; sub pia matre autem collecta, funiculum formant, interdum duplicem vel fissum, interdum planum & sensim extrorsum nervi auditorii excavato sulco se immittentem. Huic vero adjungitur fasciculus nervorum subtilior, qui cel. WRISBERG inventorem habet, & medium inter nervum *facialem* & *auditorium* locum occupat. Hic scilicet disitis, crassitie & numero diversis, fibrilis in spatio inter prædictos nervos cedente e limite protuberantiae posteriore & medullæ spinalis primordiis prope nervum *glossopharyngeum* emergit, &, absoluto aliquot linearum cursu, in unum duosve trunculos coalescit, qui nervo *faciali* se adsociant, demumque, nisi ante meatum, in ipso canali Fallopiano ipsi inferuntur.

Sic nervus *Facialis* duos componit funiculos, a majore nervo *auditorio*, cui piæ matris ope adhærent, obvelatos.

Hi

Hi demum, extrorsum & antrorsum deducti, meatum auditorium offendunt. Jam teretem nervus formans chordam, ab *auditorio* nervo sejunctus, ad superius meatus cavum se se confert & aperturam canalis Fallopiani internam, in anteriore cavi parte collocatam, penetrat. Hujus flexiones presse sequens, primum extrorsum, quasi cavitatem tympani direcete appeteret, pellitur: sed repente retrorsum ducitur, & in hac geniculata flexione nervum *petrosum* sive *pterigoidei superficialem* recipit, vel, ut alii volunt, ablegit, tumque inter canalem semicircularem externum & foramen ovale cavitatis tympani arcuato ductu retrorsum & deorsum procedit, usque dum foramen stylomastoideum, quod totus penetrat, emetiatur.

In ipso canali Fallopiano nidulans, sequentes emittit ad cavitum tympani propagines:

- a) r:um inter incudis crura ad musculum Eustachianum mallei procedentem;
- b) r:um subtilem musculo stapedis dicatum;
- c) *Chordam tympani*, insigniorem raimum, in medio canali cum nervo, ex quo oritur, primum aliquantum deorsum tendentem, & deinde in proprio canali osseo sursum se se elevantem, & per propriam aperturam inter processum mamillarem & meatum auditorium osfeum ad postremam inferiorem cavitatis tympani partem penetrantem; ubi inter crus incudis longum atque mallei manubrium, in aliqua a membrana tympani distantia, deorsum & antrorsum curvata, projicitur, atque tandem fissuram Glasferi perrepit. Et sic, per adjunctam ipsi telam cellulariem crastitie adaucta, ita descendit, ut ante levatoris & circumflexi palati originem acuto angulo cum nervo *linguali s:ti paris*, pollicis ab exitu suo distantia, copulam ineat.

Truncus *FACIALIS*, e foramine praedicto pone arteriam auricularem & sub biventrī posteriore carne emersus, deorsum

sum & antrorum & denique sursum, profundum inter processum mastoideum & maxillæ intervallum, a parotidis massa glandulosa occupatum, pervadit, & per ejus substantiam ita extrorsum sese elevat, ut ramos suos *superficiales* supra maxillam ad faciem atque tempora explicare possit. Rami autem, qui ante trunci per parotidem transcursum emituntur & PROFUNDI appellantur, sunt:

- α) RAMUS EXTERIOR s. AURICULARIS PROFUNDUS POSTERIOR s. OCCIPITALIS PROFUNDUS, a trunco, vix dum foramen stylomastoideum penetravit, emisus, & inter apophysin mastoideam & meatum auditorium, sub parotide & expansione aponevrotica apophysin obtegente, retrorsum atque sursum flexus, tandemque, pone musculum retrahentem incedens, supra aurem elevatus. Finditur in
- \* N. auricularem, sureulo ad retrahentem exhibito, inter os temporum auremque externam cursum ad externam conchæ superficiem contendentem, &, exhibitis ad eam cutis partem surculis pluribus, inflexionem versus antitragum subeuntem, atque tandem hic ipsam auris substantiam ita penetrantem, ut in interna conchæ superficie suis surculis Oberret & prope antitragum cum *auriculari cervicalis tertii* conjunctionem ineat:
- \*\*) N. occipitalem, ad superiorem retrahentis auris oram in apophysis mastoideæ superficie transverse retrorsum dejectum, & demum viam in occipitis superficie sursum dirigentem.
  - a) R:us subtilior ad aurem externam.
  - b) R:us cum *auriculari cervicalium* communicans.
  - c) R:i plures ad musculum occipitalem spleniique originem.
  - d) R:i ad cutem occipitalem in auris regione.
- β) RAMUS POSTERIOR, BIVENTRICUS, priore major, extrorsum juxta digastrici ventrem posteriorem primum decurrens, tum vero, a musculi carne reconditus, retrorsum atque deorsum versus ejus tendinem sese dicens, sed mox rur-

- rufus erumpens, & duobus ramis, vel uno, in duos partito, nexus cum aliis nervis iniens. Emittuntur scilicet
- \*) r:mi bini, in plura divisi fila, dum in sinu musculi nervus latet, ad ipsum muscolum emissi;
  - \*\*) r:us *inferior minor*, nervo jam ex musculo educto, sub musculo stylohyoideo & arteriae temporalis trunco deorsum & introrsum projectus, angulo acuto cum nervo *laryngeo* nervi *vagi* conjunctionem celebrans;
  - \*\*\*) r:us *superior major*, e biventris carne ante arteriam occipitalem & pone musc. stylohyoideum sursum & introrsum sese flectens & in venæ jugularis anteriore superficie ad foramen jugulare usque adscendens, ubi vel in ipso foramine, vel extra illud cum nervo *glossopharyngeo* sese jungit.
  - ) RAMUS ANTERIOR, STYLOIDEUS, pone arteriam auricularis posteriorem in superficie muscularum styloideorum longe descendens, ubi dividitur in
  - \*) r:um ad arteriam temporalem in superficie stylohyoidei sese extendentem ibique cum surculo *nervi mollis sympathici* coëuntem:
  - \*\*) r:um ad posteriorem faciem musculi stylohyoidei adrenpentem:
  - \*\*\*) r:um trans tendinem musculi biventris ad osis hyoidei basin excurrentem, ibique mylohyoideo & cuti; ut et interdum nervulo *subcutaneo colli superiori*, insertum.

E Trunko, per Parotidis masfam jam sursum & antrorsum flexo & RAMOS SUPERFICIALES exhibente, sequenti ordine gignuntur

- I. RAMUS ADSCENDENS s: SUPERIOR, mox rufus divisus in *N. Suprajugales* s: *Zygomaticos*, qui arcum zygomaticum recta transcendunt, & *Faciales*, qui ad faciem cursum tendunt.  
 SUPRAJUGALES, in Parotidis substantia, celebrata prædicto modo a posteriore parte memoratu dignissima cum *temporali superficiali s:ti paris* conjunctione, qua laqueus formatur

venam & arteriam temporalem includens, nervos exhibent  
TEMPORALES & ORBITALES.

- I) TEMPORALIS POSTERIOR, prope auriculam arcum zygomaticum transcendens & in superficie aponevrosis temporalis sub cute oberrans. Projicit
  - \*) *Auricularem minorem*, auriculam ipsam, tragi nempe & helicis cutem adeuntem, & anastomosin cum *auriculari paris 3:ti cervicalium & temporali superficiali 5:ti* habente;
  - \*\*) ramos supra aponevrosin novas sursum porrectas subeentes divisiones, inter se & cum *temporalis medii* divisionibus irretiendas.
- II) TEMPORALIS MEDIUS, major, sub parotide emisus &, arcu superato, in medio temporum in plures ramos divisus, plexum inter se formantes, & ita supra aponevrosin dispersos, ut alii cum priore, alii antrorum cum insequente, cum *subcutaneo malæ & consensuali*, atque retrorum ali i cum *temporalis superficialis quinti* ramis coëant.
- III) TEMPORALIS ANTERIOR, communiter cum priore sub ascensu ejus supra arcum connexus, tum vero antrorum inclinans & novas subiens partitiones, quarum, duplicatis & triplicatis divisionibus, quædam cum *medii rami*, aliæ cum *orbitali superiore*, aliæ cum dictis *1:mi & 2:di rami 5:ti paris* surculis pluribus locis copulantur eoque singulares inter se insulas formant, atque aliæ musculo orbiculari & frontali se immergunt.
- IV) ORBITALIS SUPERIOR, antrorum ad arcum orbitalem superiorem tendens & saepe ex *temporali anteriore* progerminans. Hic pluries divisus eoque insulas inter ramos suos producens, injungitur adjacentibus nervis, *temporali & orbitali inferiori*, & præterea, arcum orbitalem exteriorem & superiorem attingens, musc. orbitali frontalique surculos impertit, ut et cum *consensuali, palpebrali* aliisque *frontalis* ramis connectitur. Deest interdum, ubi *temporalis* vices ejus supplet.
- V) ORBITALIS INFERIOR, communicatione in ipsa glandula cum priore habita, & dein extra glandulam cum *faciali*, ossis zygomæ superficiem & superius musc. zygo-

gomatici extremum transcurrens atque verfus inferiorem oram orbitalem fese flectens. Prius autem divisus abit in

- a) r:um superiorem, ad superiorem anguli externi orbitæ partem tendentem &, celebrata cum prædicto orbitali *superiore* & sequente ramo, nec non cum *subcutaneo malæ* anastomosi, sub orbiculari in hoo ipso musculo ultimas suas propagines explicantem;
- b) r:um medium, versus angulum orbitæ & aversam orbicularis faciem properantem, eoque tam ad superiorem, quam inferiorem palpebram surculos projicientem, & ramos anastomoticos in adjacentes *orbitales*, porro in *subcutaneum malæ* & denique in nervos *palpebrales 1:mi & 2:di rami 5:ti* paris ablegantem;
- c) r:um inferiorem, prioribus majorem, supra os jugale, sub orbiculari & trans nervos *palpebrales inferiores internos* ad angulum internum orbitæ properantem; sed sub hoc incessu surculos ad musc. orbicularem, zygomaticum majorem palpebramque inferiorem mittentem, &, nexus cum *subcutaneo malæ*, *facialis superioris* proprio ramo, ut et *palpebralibus inferioribus* inito, quo crastities rami insigniter augetur, in cantho orbitæ interno ligamentum tarsi transgredientem eoque modo in ipsa palpebra superiore *infra-trochlearis nasalis* quædam fila excipientem.

FACIALES, ex trunco prioribus & his ipsis communi enati, seorsim inter parotidem & masfeterem transverso ductu sub musculo zygomatico ad faciem contendunt. Sunt vero

VI) FACIALIS SUPERIOR, supra ductum Stenonianum mature intra glandulam ortum ducens tumque tendineam masfeteris partem transgrediens, & postea in superficie osis zygomæ, sub musculi zygomatici superiore extre-  
mo, prope inferiorem musc. orbicularis oram, ad supe-  
riorem faciei partem nasique latera tendens. Emittit  
hac sub via

- a) r:um in masfeteris superficie *faciali medio* insertum eoque insulam inter hos ramos formantem:
- b) r:um sursum elevatum, superius musc. zygomatici extremum tran-  
scendentem, quo ad arcum orbitalem inferiorem *subcutaneo malæ* conjungatur & cum *ramo inferiore orbitalis inferioris*, cui in-  
seritur, ad angulum internum orbitæ ducatur, nec non anasto-  
moses cum *palpebrali inferiore 5:ti & faciali magno* ineat & ra-  
mis descendentibus insulas varias formet:

c) r:um,

## SCIAGRAPHICA DESCRIPTIO

c) r:um, dum truncus sub musculo zygomatico majore repit, ipsi immersum.

Trunculo per genarum adipem ad venam facialem delato, plusculi *facialis medii* rami huic inferuntur, laqueum circa hanc venam formantes, sed dum elevatorem proprium transgreditur & ad angulum internum prope-  
rat, exhibit

d) r:os in elevatore demersos:

e) r:os cum *palpebrali inferiore externo* conjunctos:

f) r:os super elevatorem proprium novas circa venam insulas formantes:

g) r:os elevatori labii superioris & alae nasi compressorique narium destinatos.

Ultimum trunci in oculi angulo extremum, coniunctione habita cum *infratrocbleari nasali*, si *orbitalis inferior* prius desit, dat

h) r:os subcutaneos ad superficiem nasi dorsalem, musc. frontalem cu-  
temque dispersos.

VII) **FACIALIS MEDIUS f. MAGNUS**, supra ductum Steno-  
nianum & trans carneam masfeteris partem in facie ver-  
sus labium superius exspatians. In musculi superficie  
bis quaterve surculos exhibit, vel recipit laterales ex  
*faciali superiore & inferiore* enatos, insulas inter se for-  
mantes. Sed ad anteriorem musculi oram in duos  
abit ramos.

a) *Ramus superior major adscendens*, sub media musc. zygomatici parte in faciei pinguedine incedens ibique sese dividens in

\*) r:um *superiorem*, qui rami *inferioris* adjumento & concursu venam facialem laqueo includit &, supra venam adscendens, alios remittit ad ramum *inferiorem*, venæ subiectum, similes laqueos formantes. Ad levatorem porro proprium, quo obtegi-  
tur, adrepit, &, coniunctione ibi cum *palpebrali inferiore extero* habita, sub vena faciali in *inferiore* ramo evanescit:

\*\*) r:um *inferiorem*, qui, in absolvendo per adipem itinere, pri-  
mum surculos zygomatico majori & levatori dicatos, aliun-  
que ramo *superiori buccinatorio 5:ti* copulatum exhibit, tum vero sub vena surculos, insulas formaturos, producit, atque demum partim in musculo levatore anguli, partim *infraorbi-*  
*talis 5:ti labialibus* sese inserit.

B) Ra-

B) *Ramus inferior*, collectam in genis adipem pervadens & sub levatore proprio plexum *infraorbitale* ad usque nervum *labiale internum* & nervos *nasales*, transgrediens. Hoc ipso tramite surculis emisis conjugit nervo *buccinatorio superiori*, ramo *inferiori superioris facialis magni*, plexui *infraorbitali* & in primis ramo *inferiori labiali* & *nasalibus*, ita ut easdem partes, quas hi ipsi, adire videatur, & cum plexu nerveo, his adjumentis valde incremente, maxime implicantur. Compresor & depressor narium, ut et elevatores labii sua seorsim accipiunt fila.

VIII) **FACIALIS INFERIOR s. TERTIUS**, infra ductum Stenonianum trans masfeterem ad faciem versus oris angulum procedens. Adjunctis quibusdam ex Rami *Descendentis facialis infimi* surculis incrementis, & habita cum *faciali medio* in generum adipe anastomosi, dividitur.

\*) *Ramus superior*, prope angulum oris sub musc. zygomatico incendens & partim *labiali extimo*, partim, surculis plexum transcendentibus, reliquis *labialibus* sese adjungens.

\*\*) *Rami inferiores*, qui, in adipe buccarum circumrepentes & venam transgredientes, angulo oris in primis sunt dicati. Ex his quidam prope masfeteris oram nervo *buccinatorio* injunguntur, alii, arteriam venamque transcendentibus, rursus cum *buccinatorii* ramo *superiore* copulam ineunt, reliqui autem, versus os projecti, in musc. *buccinatore* & *depressor anguli*, ut et cute evanescunt.

II. **RAMUS DESCENDENS s. INFERIOR**, deorsum tendens, sed in ipso parotide sese bipartiens.

I) **FACIALIS INFIMUS**, in masfeteris superficie versus angulum maxillæ sese conjiciens, citius vel serius producturus

a) *N. Buccalem*, superata masfeteris parte inferiore, ad oris angulum prorepentem & producentem

\*) r:um cum *faciali inferiore* communicantem;

\*\*) r:um a *n. buccinatorio* surculum recipientem & in buccarum adipe cum *faciali inferiore* junctum, tumque plures surculos prope angulum oris circa venas & arterias sursum & deorsum producentem. Hi cum filis nervi *buccinatorii* rarsus sunt implicati & musc. zygomatico atque depressoris fini immersi;

\*\*\*) r:um versus labium inferius propulsum & prope angulum maxillæ cum priori ramo, postea cum *buccinatorio 5:ti* atque denique cum *nervo marginali* conjunctiones ineuntem. Jam vero

## SCIAGRAPHICA DESCRIPTIO

ro surculos emittit, *maxillaris inferioris* 5:ti ramis occurrentes & in triangulari consumtos.

- b) *N. Marginalem*, versus angulum maxillæ descendenter &, habita prius prope angulum communicatione cum *subcutaneo colli*, marginem ejus concomitantem. Exhibit
  - \**r:um superiorem*, primo versus maxillæ angulum sese conjicentem, ibique cum ultimo ramo ex *buccalibus* coëuntem, tum vero marginem maxillæ sequentem, sed sensim in masfeteris superficie sursum & antrorum ad buccas properantem. Transcedit in buccis venam facialem & in eo tractu *buccali* atque *bucinatorio* 5:ti adjungitur. Emissit demum
    - a) r:os, sub depresso anguli oris, plexus *inframaxillaris* extensis ramis & musc. orbiculari insertos;
    - b) r:um superum, nexu habito cum *faciali inferiore*, novas divisiones, partim nervis *labialibus inferioribus*, partim depressori anguli & proprio, ut et orbiculari insertas, subeuntem.
  - \*\*) *r:um inferiorem*, sub depresso anguli ad foramen mentale excurrentem, ibique cum *inframaxillaris* ramis coëuntem, & ramos musc. depressori proprio, mentali atque orbiculari, cutique largientem.

### III SUBCUTANEUS COLLI SUPERIOR, in duos tresve ramos prope ortum divisus, ad colli superiorem partem juxta maxillam inferiorem, deorsum & antrorum tendens.

- a) *Ramus superior*, intra glandulam a sequentibus sejunctus, ad maxillæ angulum properans, &, receptis ibi a *subcutaneo* 3:ti paris *cervicalium* & a nervo *marginali* ramis, infra maxillæ marginem, sub latisimo colli, supra glandulas maxillares excurrentes. Exhibit etiam surculos cum arteria ad maxillam properantes & ad depressorem anguli mentumque tendentes.
- b) *Ramus medius*, nexus etiam cum *subcutaneo cervicalium* celebrans surculumque a nervo *styloideo* recipiens, et, in plures divisus surculos, tum prope mentum in colli cute, sub latisimo colli, longe lateque exspatians, tum etiam, ora maxillæ transgressa, ultima fila ad cutem menti projiciens.
- y) *Ramus inferior*, uberior cum *subcutaneo colli medio* irretitus, &, antrorum projectus, cutem inter mentum & laryngem extensam occupans. Hi vero rami a descripto ordine valde aberrare solent.

PAR

## PAR OCTAVUM, AUDITORIUM &amp; N. MOLLIS.

ORIGO. Medullares lineas albas, latiusculas & transversas in ventriculo quarto, substantia cinerea posterius leviter obducto, conspiciendas numeroque variantes, huic nervo remotissimas praebere origines, plurimi affirmant; etsi interdum hæ ipsæ, ob suam mollitatem & cum medulla adjacente miscelam, ad egredientem hoc loco nervum difficilius conduci posunt. In ipso ventriculi sulco dextras radices sinistris conjungi creditur; sed nec numero, nec situ sibi invicem semper respondent. Collectis tamen ex hac medullæ regione fibrillis, fasciculus deorsum versus medullæ spinalis originem reflectitur, qui insigne simul novis, tum ex illa, tum in primis ex adjacente protuberantia annulari eductis fibrillis incrementum capit. Enascitur sic mollior & tertio pare paullo major funiculus, extrorsum & deorsum versus meatum auditorium conflexus, simulque ita expansus & involutus, ut nervum *facialem* s. *durum*, cui tela cellulari laxe adnectitur, partim exterius obtegat, partim vagina veluti obducatur.

Mature tamen, & ante nervi in meatum auditorium immersionem, futuræ in duos fasciculos divisionis prodit initia, & quo magis rami sejunguntur & meatui appropinquant, eo majorem nervus acquirit firmitatem. Tum vero mirabilem quamdam, turbinis in modum, contorsionem & involutionem subit, quæ, per meatum auditorium, labyrinthum atque *traditum spiralem foraminulosum* continuata, ramorum distributionem singularem optime expedit. Est vero meatus auditorii fundus spina elevata in duos semicanales divisus, quorum inferior major, tam vestibulo, quam cochleæ nervos tribuit, superior autem minor ramum ad vestibulum & ipsum nervum *facialem* ad suum conductit canalem; spina

næ vero posterius extremum alios recipit surculos, vestibuli cavo hæmisphærico immittendos.

**FASCICULUS ANTERIOR**, magis spiræ ad modum convolutus, mollior, infimainque majorem & interiorem meatus auditorii petens sedem, modioli cochleæ axin ad apicem usque transcurrit. Hac vero via per innumeratas *tractus spiralis foraminulofl* aperturas ramos dimitit, inter laminæ spiralis foliola transverse incedentes, demumque plexuosis divisionibus & conjunctionibus super zonam membranaceam ad externum scalæ tympani parietem sese deducentes. Scire etiam attinet, quemcumque gyrum singulares suas fovere, in penicillos molliores abeuntes, fibrillas, easque non ex uno in alterum transcurrere; ultimum autem nervi finem, apicem modioli penetrantem, infundibulum & zonæ semi-gyrum nervoso plexu obducere. Ramuli primum emissi omnium sunt crassissimi & numero rariores, qui sequuntur crebriores & tenuiores, ultimus autem solitarius, ex modioli centro absolutis gyris emanans, crassiusculus.

**FASCICULUS POSTERIOR** in tres insignes abit ramos.

- 1) *Ramus major*, qui retrorsum meatus auditorii superius cavum penetrat & in vestibulo foraminula, inter canarium semicircularium superioris & exterioris superiora extrema & per pyramidalem eminentiam ducta, pervadit, demumque in alveo canaliculorum membraneorum communi, atque ampullis canalis semicircularis superioris & exterioris ita consumitur, ut fibrillæ mollissimæ, sed distinctæ & mirifice inter se reticulatæ, pulposum acquirant habitum easque caveas succingant.
- 2) *Ramus medius*, interdum bipartitus. Meatus auditorii inferius cavit & foramina, prope spinam ipsam posterius observanda, penetrans, vestibuli cavo hæmisphærico per foraminulosam maculam se immittit & facculum membranaceum, ibi collocatum, albissimo mucore obducit.
- 3) *Ramus minor*, qui, retrorsum meatus auditorii inferius cavit, & solitarium ibi, posterius inveniendum, foramen per-

permeans, demum per reticulatam maculam, in inferiore vestibuli parte observandam, cavo se immittit, quo in canalis semicircularis posterioris ampulla, eadem ac ramus major ratione, diffundatur.

### PAR NONUM, GLOSSOPHARYNGEUM.

**ORIGO.** Primum constituens a medulla spinali excurrentium par nervorum, suas ex supraem hujus parte, vel ex processibus cerebelli, in medulla spinali confluentibus, ipsove ventriculo quarto radices derivat; quæ demum collectæ, funiculum vel simplicem, vel ex binis, ad sex, funiculis conflatum formant, inter protuberantiæ annularis oram posteriorem & corpora olivaria, ut et inter nervum *facialem* & *vagum* proserpentem, & a *vago* vasculis & tela cellulari sejunctum. Extrorsum porro sub cerebellum, cui celluloso textu leviter revincitur, se ducens & a *vago* pare se simul disjungens, foramen jugulare, quod penetrare debet, attingit. Hic proprium canalem, infra meatum auditorium in dura matre & in anteriore foraminis laceri ora exsculptum, atque interdum lamina ossea a reliquo hiatu separatum, ita pervadit, ut vena jugularis illi nervoque *vago* intercedat; quo sub tramite nervus simul in ganglion quinque lineas longum intumescit. Atque sic nervus, extra cranium propulsus, ante venam jugularem carotidemque cerebralem, & pone musculos styloideos antrorsum & deorsum exurrit, suosque ultimos multifidos surculos pharyngi & lingvæ immittit. Sequenti ordine surculi ejus exhibentur:

a) R:us minutus in cavo crani prope ortum cum nervo *vago* sese copulans.

b) R:i bini, tum ex ganglio retrorsum per proprium canalem in meatum auditorium sese conjicientes, tum ex eodem ganglio per membranaceum parietem nervo *vago* & venæ jugulari sese inferentes. (ANDERSCH, WRISBERG & SOEMMERING.)

B 3

c) R:us

- c) R:us, dum truncus extra cranium reperitur, cum nervo *biventrico septimi paris* anastomoticus.
- d) R:us muscularis, antrorsum directus, biventri & stylohyoideo furculos adjiciens, & interdum per fila minuta nervis *mollibus intercostalis* injunctus.
- e) R:us anastomoticus cum nervo *vago*, interdum deficiens.
- f) R:us mox multifidus, ductum lateris exterioris carotidis sequens, & nervis *mollibus intercostalis* horumque plexui *pbaryngeo*, nec non nervo *pbaryngeo vagi* insertus, sicque plures ablegans ad pharyngem furculos, aliosque nervo *cardiaco* immixtos; interdum vero quosdam simul ad pharyngis regionem tonsillarem emittens.
- g) R:us *pbaryngeus major*, versus *pbaryngeum superiorem vagi* descendens, ipsique in media illius parte sese inferens.
- b) R:us *laryngeus*, cum nervo *laryngeo vagi* irretitus, & simul furculos ad carotidem, nervum *intercostalem* & constrictores medios pharyngis exhibens.
- i) R:us *tonsillaris*, omnium minimus, ambitum pharyngis tonsillarem petens, & stylopharyngeo pharyngique fila minuta & valde implicita advehens.
- k) R:us *lingualis*, omnium maximus, pone musculos apophysis styloideæ infixos incedens, &, exhibitis ad illos ramis, per musc. stylopharyngeum versus lingvæ radicem excurrens, illique pluribus incerti numeri ramulis ita immersus, ut demum quædam ejus fila posterioribus lingvæ papillis immisceantur, quædam superiora pharyngis adeant. Dispescitur nempe tandem in
  - \* r:um minorem sublimem & superficialem, in lingvæ superficie persistentem;
  - \*\*) r:um majorem profundum, per muscularum lingvæ fibras dispersum.

## PAR DECIMUM, VAGUM.

**ORIGO.** Nervorum ex medulla spinali prodeuntium secundus, a parte laterali medullæ spinalis, pone corpora oli-

ya-

varia, supra arteriam cerebelli inferiorem, inter *glossopharyngeum* & *accessorium* fasciculos plures educit. Observarunt vero, eorum nonnullos ad ventriculum quartum penetrare, quosdam duplici radicum serie, una anteriore & altera posteriore, sicuti nervi spinales, pronasci, alios autem ex indivisis in ipsa origine formari funiculis; quæ tamen omnia stamina, quinque ad duodecim fila crassiora & tenuiora producentia, in unum coëunt nervum, a *glossopharyngeo*, licet ipsi primum contiguo, sese separantem, & sub cerebello extrorsum ad foramen jugulare dejectum. Ibi canali, in dura matre & ipsa ossis ora parato, immergitur & cum vena jugulari extra cranium deducitur. Jam autem nervus *Vagus*, cursum suum per totum collum pectorisque cavum ad ventriculum dirigens, in colli regione superiore nervum *lingvalem* primum transcendit, postea vero, dum *lingvalis* exteriori ejus oræ fuit adpositus, ipsi rursus subjicitur, tumque, adjacentibus partibus cellulosa ope revinctus, pone venam jugularem carotidemque, super musc. rectum anteriorem colli & juxta nervum *intercostalem*, cuius exteriorem oram parallele sequitur, trans *nervos molles* aliasque nervi *intercostalis* & *cervicalium* propagines, ad arteriam subclaviam descendit. Sed superata externa ejus superficie, nervus pone pulmones ad bronchos sese conjicit eoque ad oesophagum sese flexit, cuius ductu in cavum abdominis delabitur & prope cardiam ultimas ventriculo & hepati dicatas subit divisiones. Sequenti ordine suos producit ramos:

- I) Filorum insignis fasciculus per peculiarem in dura matre canaliculum cum *accessorio* conjunctus. (WRISBERG.)
- II) Ramus perbrevis nervo *accessorio*, ipsi ab externa parte adjecto, injunctus. Hic etiam ramus, a *glossopharyngeo*eductus, nervo *vago* extra cranium inseritur.
- III) Ramus cum trunco *intercostali* conjunctionem iniens.

IV)

IV) Rami tres, nervo *linguali*, dum *vagum* transgreditur, adrepentes.

V) N. PHARYNGEUS SUPER., insignis magnitudinis, e trunco illo in loco, ubi *lingualis* ante illum incedit & *accessorii* quædam fila, ad adaugendum *pharyngeum* ipsi inferuntur, exiens, & postea ad pharyngem sese conjiciens. Mature in plures ramos plexuosos, qui in divisionis puncto, secundum WRISBERGIUM, ganglion quoddam minutum renale produnt, dividitur. Teneantur

- a) r:us, *glossopharyngei* superius adjacentis propaginem recipiens;
- b) r:mi duo vel plures, versus ganglion *cervicale superius* similibus nervi *intercostalis* furculis occurrentes, ex quibus filium unum alterumve in plexu *cardiaco* consumitur;
- c) r:mi alii cum *glossopharyngei* ramis irretiti;
- d) r:us versus nervos *pharyngeos intercostalis* descendens;
- e) r:mi plures in constrictoribus superioribus & mediis pharyngis consumti;
- f) r:mi cum *pharyngeo inferiore* & *laryngeo* copulam habentes.

VI) N. PHARYNGEUS INFERIOR, paullo infra priorem enascens, & radicem suam longiorem ex hoc nervo habens, sed aliam majorem ex *ganglio superiore cervicali intercostalis*. Nervus, versus inferiora declinans, ad pharyngis regionem trachealem procurrit, ibique cum superiore frequenter coalescit. Sæpe deest.

VII) N. LARYNGEUS, duplices sæpe e trunco radices colligens, quibus conjunctis, nervus pone arteriam carotidem ad art. thyroideam superiorem tendit, ejusque societate laryngi adjungitur.

- a) R:i plures ad carotidis communis divisionem properantes, ibique cum nervis *mollibus* sese copulantes.
- b) *Laryngeus internus*, nonnumquam seorsim e trunco emissus, inter os hyoides & cartilaginem thyroideam laryngis cavo sese immergens ibique producens

cc) r:os

- α) r:os ad epiglottidem;
- β) r:os ad thyroarytenoideos;
- γ) r:os ad arytenoideos;
- δ) r:os ad cricoarytenoideos;
- ε) r:os cum *recurrentis* surculis frequentes ineuntes anastomoses.
- c) *Laryngeus externus*, insigniorem a ganglio *cervicali superiore* & *glossopharyngeo* surculum accipiens tumque sese dividens in
  - α) r:um ad constrictores inferiores & palatopharyngeum;
  - β) r:um ad hyothyroideum;
  - γ) r:um ad sternothyroideum, tumque cartilaginum interstitia perforantem eoque musculos adjacentes interiores adeuntem;
  - δ) r:os in glandula thyroidea subdivisos.

VIII) Ramus introrsum ductus, quo *linguali* vel ejus *descendenti nervo* inseratur.

Jam truncus *Vagus*, per collum decurrens, & ante arteriam subclaviam in pectoris cavo delabens, surculorum interdum expers esse videtur; quos tamen porrigit tenuiores, nec in utroque latere sibi sunt similes, neque ex eadem sede erumpunt. Teneantur ex his

IX) Ramus simplex, duplex, quadruplexve, in dextro latere paullo supra subclaviam, in sinistro autem ad colli medium emissus, & introrsum sese ad plexus *cardiacos* supra arterias dicens, ibique in plura fila, cum *intercostalis* propaginibus implicita, abiens. In sinistro latere, numero plures & insigniores adsunt, quam in dextro, ubi nervus *recurrens* eos emittere solet.

X) Ramus communicans, incerto loco propullulans, & nonnumquam plane deficiens, jam cum ipso *intercostali*, jam vero cum quadam illius propagine sese nectens.

XI) N. RECURRENS, dum *vagus* arteriam subclaviam transit & ad mediastinum posterius sese confert, retrorsum emissus, & sursum inter oesophagum atque asperam arteriam ad laryngis inferiora reflexus. Ortus vero ipse & cursus nervi in singulo latere specialia quædam prodit. In

*dextro*, truncus, vena subclavia tectus, & in angulo carotidi dextræ & subclaviæ intercedente latens, in *recurrentem* & *continuationem* trunci finditur, quorum prior, minor, sub art. subclavia introrsum reflectitur, eoque illam quasi ansa amplectitur; altera autem, recta in thoracem descendens, cito rursus alium ramum *recurrentem minorem* emittit, qui, inter asperam arteriam & oesophagum ad superiora progredivt, in *recurrentem majorem* confluit. In *sinistro* latere truncus, arctius cum carotide conjunctus, ad eundem inter arterias angulum se recipit, in quo intervallo super carotidem quædam cum prioribus implicata spargit fila, tumque super arteriam aortam descendantem, infra ductum arteriosum incedit, & nervum *recurrentem* versus superiora pone arteriam flexum ablegat, nullum vero *recurrentem minorem* producit. Propagines illius sunt:

- a) r:mi *cardiaci*, in *dextro* latere, dum finditur ipse truncus & *recurrens* prædictam flexionem celebrat, varia directione varioque numero educiti, suasque propagines toto *plexui cardiaco* immiscentes; in *sinistro* autem latere, vel plane deficientes, vel minori numero & mole profundioribus nervis *cardiacis* sese immittentes:
- b) r:mi 2 vel 3, *plexui anteriori pulmonali* sese injungentes:
- c) r:mi nervis *ganglii cervicalis inferioris intercostalis* irretiti:
- d) r:mi asperam arteriam adeuntes & in ejus interiore membrana desinentes:
- e) r:mi ad oesophagum & constrictores inferiores pharyngis:
- f) r:mi ad glandulam thyroideam:
- g) r:us, præcipue in *sinistro* latere, quemdam *cervicalis primi* surculum descendantem recipiens. (Interdum desideratur.)
- b) r:mus reliquus nervi, inter cartilaginem thyroideam & constrictores inferiores, interiora laryngis penetrans, ibique tum ad musculos crico-arytenoideos & thyro-arytenoideos surculos propellens, tum etiam cum *laryngeo interno* sese copulans.

**XII) PLEXUS PULMONALIS ANTERIOR**, dum *vagus* broncho, cui se posterius injungit, magis adprimitur, exoriens, & quatuor quinqueve ramis, partim huic pari, partim nervo *intercostali* tribuendis, conflatus, recta bronchorum superficiem transcendens, demumque fila sua, tum extrorsum ad bronchorum ramos vasaque projiciens, tum etiam introrsum quædam *plexui cardiaco* immittens.

**XIII) PLEXUS PULMONALIS POSTERIOR**, dum nervus *vagus*, jam aliquantum latescens, pone bronchos in dextro latere, in sinistro autem, superato broncho, inter aortam & arteriam sinistram pulmonalem deorsum & introrsum procedit, e transverso eductus. Pluribus, quatuor ad decem, sæpe parallelis, inter se tamen communicantibus, & ganglia irregularia interdum formantibus, componitur fibrillis, ductum bronchiorum & vasorum sequentibus, & novas subeuntibus divisiones, ex quibus:

- a) r:mi cum vasis aëreis substantiæ pulmonali immersi;
- b) r:mi in arteria pulmonali bronchiorumque ramis circumrepentes;
- c) r:mi in venis pulmonalibus subsistentes;
- d) r:mi ad oesophagum ducti.

Superato broncho, nervus *Vagus*, ab utroque latere ipsum Oesophagum attingit, ea vero ratione, ut dexter in posteriore, sinister vero in anteriore ejus superficie decurrat, & illius comitatu per diaphragmatis ostium ad ventriculi binas superficies deferatur. Prius vero formantur

**XIV) PLEXUS OESOPHAGEUS ANTERIOR & POSTERIOR.** Trunci scilicet, oesophagum attingentes, in plures dispescuntur surculos, tum inter se conjunctos & ad vicinas partes dejectos, tum etiam rursus in novum truncum, prædictum cursum fuscipientem, collectos.

**PLEXUS ANTERIOR**, sinistri nervi, tribus præcipue ramis componitur. Ex his

## SCIAGRAPHICA DESCRIPTIO

- a) r:us *exterior* aortam appropinquat, quosdam ipsi tribuens, late ex-spatiantes, & cum *posteriore* connexos, surculos:
- b) r:mi *interiores* bini in oesophago sese multiplicant, cum *posterioris plexus* filis semet irretientes. In horum cohæsionis puncto parva *ganglia oesophagea* efformantur, penicilla emittentia nervorum, in oesophago subsistentia.

**PLEXUS POSTERIOR**, dextri nervi, emittit

- a) ramos plures, ad quinque usque, in superficie aortæ late diffusos:
- b) r:os plures cum anteriore connexos:
- c) r:os in oesophago dispersos suaque *ganglia oesophagea* etiam interdum formantes.

**XV) PLEXUS GASTRICUS ANTERIOR**, a nervo sinistro, anteriem ventriculi superficiem attingente, & mox novas rursus subeunte divisiones, productus. Propagines ejus, secundum cel. WALTER, sunt distingvendæ in

- a) *Ramos descendentes stomachicos*, ad arcum ventriculi minorem prope cardiam sese propellentes, ex quibus
  - \*) r:mi bini superficiem anteriorem cardiæ adeuntes:
  - \*\*) r:mi in ejus fundo oberrantes:
  - \*\*\*) r:mi ad ejusdem corpus & arcum superiorem propulsî, ibique latisime divagantes.
- b) *Ramos ascendentes hepaticos*, prope arcum, juxta dextrum cardiæ latus, versus hepatis fissuræ transversalis finisserrimam partem sese elevantes. Ex his constantiores sunt
  - 1) r:us sursum propulsus & mox sese dividens in
    - a) r:um, *plexui hepatico sinistro*, arteriam hepaticam sinistram obtengenti, insertum:
    - b) r:um cum sequente ramo 2) coalescentem.
  - 2) r:us paullo longior, in quatuor rursus partitus surculos, qui sunt: r:mus r:us longior. Nexus cum nervo *splanchnico* inito, ad hepar properat, & per augmentum a *plexu hepatico sinistro* ipsi exhibitum, prædictam fissuram demum attingit.
  - 2:dus r:us insignis. Primum adscendit, tum deorsum flectitur, &, initis variis cum adjacentibus nervis copulis, arcum demum minorem attingit inque superficie anteriore ventriculi evanescit.
  - 3:tius & 4:tus ramus cum prioribus nervis *stomachicis* nectuntur, atque tum *plexui hepatico sinistro* se immiscent novaque nonnulla fila ad ventriculum remittunt.

3) r:as

3) r:us sinistrorum flexus & in occursu nervi hepatico-gastrici, a ganglio coeliaco sinistro quinto enati, ipsi sese irretiens.

*Obs.* Adjunguntur scilicet plexui huic *gastrico* nervus prædictus *hepatico-gastricus*, & *ramus descendens hepatico-gastricus*, e plexu *hepatico sinistro* enatus. Prior, supra cardiam a sinistris dextrorum sese flectens, ramum ad fundum, binos ad cardiam, alios binos ad *plexum hepaticum sinistrum*, aliosque rursus ad fundum, truncum anteriorem paris *vagi* prædictosque ejus ramos, nec non *plexui hepatico sinistro* insertos, emittit. Alter, e *plexu hepatico sinistro* eductus, & arteriæ hepaticæ sinistrae ductum sequens, prope arcum superiorem, ramum longiorem edicit, qui ad corpus ventriculi extremumque ejus dextrum, & ad faciem ejus anteriorem & posteriorem dividitur. Omnes nervi *gastrici*, e plexu hoc enati, quinque singulares constituunt surculos.

XVI) PLEXUS GASTRICUS POSTERIOR, a nervo *vago* dextro productus & pone cardiam sequenti modo sese dividens.

1) *Ramus longior profundus*, ganglio coeliaco decimo sese immergens tumque emittens

- a) r:um *anastomoticum gastricum*, in posteriore ventriculi pone cardiam facie, cum sequente copulam ineuntem;
- b) r:um *gastricum*, antrorum pone cardiam ad fundum tendentem, sed prius cardiæ bina fila largientem.

2) *Ramus brevior*, mox in quinque abiens surculos.

- 1) R:us *gastricus*, qui, cum priore junctus, duobus filis in cardiæ posteriore facie persistit.
- 2) R:us alias, antrorum versus, cardiam anterius attingens ibique sese perdens.
- 3) R:us *gastricus posterior*, tum in posteriore ventriculi facie circa arcum minorem surculo excurrentis, tum etiam per alium ramum *hepatico-gastricum*, in *plexu hepatico sinistro* finiendum, quædam fila adscendentia *hepatica*, & alia descendenta *gastrica*, in utraque ventriculi facie dispersa, producens.

4) 5) Rami minores *plexui gastrico* sese immiscentes.

## NERVUS ACCESSORIUS VAGI.

**ORIGO.** Ex posteriore medullæ spinalis funiculo in' vertebrarum specu fila sua inter nervorum *cervicalium* radices anteriores & posteriores ita colligit, ut primum tentissimum 6:ti vel 7:mi paris radicibus intercedat, illi vero, sursum tendenti, nova ad quocumque par transgrediendum adjungantur, quo nervus insignioris magnitudinis producitur, per foramen occipitale magnum ad cranii cavum ductus. Nervus scilicet, sub ascensu suo inter ligamentum denticulatum & posteriores nerv. *cervicalium* radices locum suum inveniens, simplices tantum e medulla dicit surculos, non raro tamen, dum primum vel secundum par transgreditur, his ipsis filo adjungitur. Crassioribus conflatur radicibus, si serius incipit, id quod nonnumquam in uno latere accidit, dum in altero altius descendit eoque longitudine priorem superat. Sed nervo, in cranii cavo ad medullæ latus demum nidulanti, jam quatuor, jam duæ tantum, ex adjacente medulla firmiores radices, bifidis, vel dupliciter fissis, filis compositæ, adjunguntur, ipsi insigne exhibentes incrementum.

Nervus vero singulari hac ratione compositus, dum sursum sese elevat, simul extrorsum flebitur, & pari *vago* associatur, cuius ductum ita sequitur, ut, quasi accessorius illi, foramen jugulare attingat & per illud extra cranium deducatur. Dum foramen seorsim in maxima ejus declivitate, & a *vago* paullum sejunctus, trajicit, dura matre eo modo obducitur, ut laminas ejus penetrare videatur, sed mox rursus ad externam nervi *vagi* oram inflebitur, ipsi communi vagina veluti in unum funiculum pone venam jugularem adglutinatus. Sub nervi per foramen jugulare transitu dividitur in

a) *ramum interiorem*, minorem, extra foramen introrsum pone nervum *vagum*, a quo fila quædam colligit, dejectum. Producit

\* r:os

- \* r:os duos introrsum trans nerv. *vagum* excurrentes, tumque rursus coalitos, &, recepto a *vago* surculo, nervo *pharyngeo superiori* veram veluti exhibentes originem;
- \*\*) r:os plures, paullo infra nervum *laryngeum* explicatos & denuo *vago* eo loco insertos, ubi is in ganglion quoddam interdum extuberare videtur;
- \*\*\*) r:um tenuem truncō *nervi lingualis* adjunctum.
- b) *ramum exteriorem*, majorem, ita deorsum & in colli anteriore facie extrorsum flexum, ut sternomastoidei superioris extremi internam superficiem primum attingat, inter cujus fibras se condit, vel ipsi cellulosae ope tantum adglutinatur. Relicta autem posteriore musculi hujus ora, trans musc. angularem versus internam trapezii superficiem excurrit ibique finitur. Recipit, dum ad posteriora sese flectit, a 2:do & 3:tio pare *cervicalium* surculum insigniorem, &, trapezio emenso, aliis ex *tertio*, *quarto*, *quintoque cervicalium* propaginibus immiscetur. Exhibit vero
- α) r:os plures ad sternomastoideum, cum aliis nervis huic musculo insertis, copulam ineuntes;
- β) r:os variis locis in trapezio consumtos.

### PAR UNDECIMUM, LINGVALE.

**ORIGO.** Ex medulla spinali eductorum nervorum tertius, suas fasciculatim e sulco, inter corpora pyramidalia & olivaria cedente, colligit origines, ita tamen, ut magis a margine externo corporum pyramidalium, quam interno olivarium sint derivandi. Fasciculi vero hi, juxta se invicem ad perpendiculum positi, five plures sint — nam sex plerumque numerantur, — five pauciores, a minoribus radiatim concurrentibus filis conflantur. Dum vero hi sunt colligendi, anteriores, supra canalem condyloideum positi, retrorsum, & posteriores, infra illum collocati, antrorsum excurrere sunt coacti, hique mediis multo sunt longiores. In ner-

vo tamen sic produēto, tres quatuorve fasciculi, pia matre inter se juncti, distingvuntur, qui ab inferiore cerebelli superficie tecti, juxta externam arteriæ vertebralis oram obliquo ductu ad canalis interiore aperturam se conferunt. Transfodientes vero illam, si vel spina ossea vel lamina membranacea bipartitur, nervus iterum dividitur, extra canalem demum in unum cylindricum coalitus funem.

Truncus, hac ratione in superficiem colli anteriorem eductus, deorsum juxta *vagi* interiore oram tendit, sed ab illo postea tectus ipsique revinctus, surculos nonnullos, ex illo atque *accessorio* derivandos, interdum accipit. Peraēto autem dimidii pollicis decursu, magis extrorsum sub vena jugulari nervo *accessorio* sese adjungit, tumque supra *vagi* nec non carotidis internæ anteriorem superficiem deorsum atque introrsum confluet, quo loco, nempe in transitu ejus supra carotidem, insignis ipsi a nervo *vago* prope *laryngeum* inseritur surculus, & ab externa parte alii bini, a ganglio *cervicali primo* & *primo* atque *secundo* pare *cervicalium* enati. Superato *vago* & carotide, nervus *Lingualis*, musculo stylohyoideo & biventris ventre posteriore tectus, prope tertiam vertebram cursum antrorsum ita dirigit, ut formato arcu, deorsum convexo, inter musculos prædictos venamque lingvalem, ossis hyoidis superiore oram sequatur. Hic vero, musculo mylohyoideo & glandulis maxillaribus obiectus, hyoglossi superficiem ad usque genioglossum, in quo consumitur, transcurrit. Propagines ejus sunt:

D) *Nervus descendens*, eo in loco, quo truncus in arcum flecti incipit, ab inferiore ejus limine propullulans, &, relicta nervi *vagi* interiore ora, cui tela cellulari adhaerescit, supra venam jugularem extrorsum & antrorsum sese torquens, quo per concursum cum ramo *paris 2:di* & *3:ti cervicalium*, introrsum supra venam eamdem verso, singularem ansam, venam amplectentem, formet. Emittit

a) r:um

- a) r:um ad omohyoideum & sternohyoideum, ante ansæ formationem productum:
- b) r:um *majorem anteriorem*, sub omohyoideo ad sternohyoideum & sternothyroideum surculos alegendantem. Ex his surculis subtilior adeo longe decurrit, ut demum venam subclaviam transcendat, & prope pericardium nervo *prenico* immittatur.
- c) r:um *minorem inferiorem*, forsan majori jure parti cervicali hujus laquei adscribendum, super anteriorem venæ jugularis superficiem ad musc. omohyoidei inferiorem portionem conjectum.

Ex Trunco in hyoglossi superficie deducuntur

- II) r:mi duo ad hyothyroideum descendentes;
- III) r:mi ad mylohyoideum sursum projecti;
- IV) r:mi ad hyoglossum sursum & deorsum educti;
- V) r:mi ad geniohyoideum;
- VI) r:mi ad styloglossum;
- VII) r:mi anastomotici, cum paris quinti *lingvali* in superficie musculi sese copulantes, eoque pulcerrimum rete inter utriusque nervi ramos formantes;
- VIII) r:mi totum reliquum nervum in musculo genioglosso consummantes.



## THESES MISCELLANÆ.

### THESIS 1:ma.

**L**icet absorptionis negotium in corpore animali vasculis lymphaticis absolvatur, nondum tamen liquet, numne etiam minutissimis venis, in quibusdam locis, certo respectu simile officium fit adscribendum.

### THESIS 2:da.

**V**is vasorum lymphaticorum oscillatoria, eam, quæ venis ineft, superat; hæcque a fibris muscularibus, quibus carere videntur, non pendet.

### THESIS 3:tia.

Crescit omnium Vasorum, in primis arteriarum, robur eadem ratione, qua amplitudo earum decrescit.

### THESIS 4:ta.

Fallax sœpe ab effectu medicamentorum in animalibus brutis pércepto, ad vires eorum in corpore humano conclusio est.

### THESIS 5:ta.

Telæ cellularis natura probe cognita, multa quæ ad morborum crises pertinent, clariora evadunt.

### THESIS 6:ta.

Motus cordis nequaquam a nervis, sed a sola fibræ muscularis irritabilitate pendere videtur, quum nervos substantiæ cordis non immitti, recentissimæ observationes doceant.

### THESIS 7:ma.

Cognita jam ratione, quomodo natura ossum particulas, carie corruptas, ab illæsis & vivis sejungat, mirum sane videtur, plures adhuc in ea versari opinione, cauteriis, tincturis variis acribus, quas exfoliativas appellant, aliisque hujus prosapiæ remediis, curam unice absolvî posse.

### THESIS 8:va.

His enim remediis malum plerumque adaugetur, unde etiam exfoliatio, dum demum oboritur, multo major fit, quam si opus vel naturæ committitur, vel applicatis apto modo emollientibus adjuvatur.



BY

